

I

LEONEM X PONTIFICEM MAXIMUM

E1_01 v.1 Quam non picta meos inflectunt stragula sensus,
 2 purpura nec Tyria bis madefacta manu !
 3 Non mea quod Pariis non sit digesta columnis
 4 parva domus quamvis, est mihi grata minus :
 5 fronde super viridi parvis innixa tigillis
 6 et facta agresti me juvat arte casa.
 7 Illius immenso splendescat regia luxu
 8 qui maris undisonas itque reditque vias,
 9 qui multo innumeros verset dum vomere campos
 10 sustinet ingrati iurgia mille fori.
 11 Bella gerant, pacemque agitent, seu foedera reges
 12 componant rursus, otia segnis agam.
 13 Te decet ingentes rerum, Leo Maxime, curas
 14 excipere, atque orbi prospicere inde tuo,
 15 me tantum irrigui fontes, et frondea rura
 16 pomosique juvent jugera pauca soli.
 17 Illic aerae projectus in ilicis umbra
 18 nunc faciles somnos, dum strepit aura, sequar,
 19 nunc et oves inter placidas oviumque magistros
 20 omnivoli repetam dulcia furta Jovis :
 21 scilicet ut quondam caelesti in corpore pluma
 22 perque manus crevit plurima, perque pedes,
 23 utque renodanti flavos a vertice crines
 24 flagrarit tereti rex bonus in puero.
 25 Ad tua mox placidum deducam tempora carmen :
 26 accurrent faciles in mea vota Deae,
 27 accurrent faciles, vario et de flore corollas
 28 distinguent capiti congrua dona meo.
 29 Ipse ego victrici redimitus tempora lauru,
 30 te duce, quae redeunt aurea saecula canam :
 31 auxeris ut pace Italiam, violentaque bella
 32 sustuleris, Musas tunc meminisse decet,
 33 utque via immitis timeat descendere sacra
 34 Parthus, et invisio subdere colla iugo,
 35 ut trepidant Tanais, ignotaque flumina Nili,
 36 ut paveat quisquis ultima Bactra colit.
 37 Haec ego, quae pulsae responsent undique valles
 38 et dulci referat aura benigna sono.
 39 Stabunt pastores, et me tua facta canentem
 40 gaudentes variis plausibus excipient,
 41 atque aliquis nostrae miratus commoda vitae

42 verba aliis de me talia clam referet :
 43 "Implicitum hunc curis olim, ac male fida legentem
 44 aequora sollicita misit ab urbe Leo,
 45 et dixit : juga laeta petas placidosque recessus,
 46 Nympharumque choris excipiare, puer,
 47 proque foro dulces, quondam mea gaudia, Musas,
 48 i, sequere, et blandi commoda ruris ama."
 49 Qualia tunc nostrum mulcebunt gaudia pectus,
 50 deducet cum me sedula turba domum.
 51 Hos ego gramineo excipiam teneroque sedili ;
 52 tunc procul ite a me, seria verba, procul.
 53 Arcebunt soles ramis frondentibus alni,
 54 non aestus deerit quae levet aura graves.
 55 Quod si forte aditum huc tulerit mea Furnia, jure
 56 tunc mihi terrarum despicientur opes.
 57 Illi selecta detracta ex arbore mala
 58 exiguique feram munera prima soli.
 59 Agricolae molles choreas per gramina ducent,
 60 inflabunt calamos rustica turba leves.
 61 Praemia victori ramis pendentia acernis
 62 stabunt arbitrio fixa, puella, tuo.
 63 Illi quod repetat varios variosque reflexus
 64 suspensi speculi munera lecta dabis,
 65 tum croceos non passa diu pendere cothurnos
 66 huic tribues agili quod pede pulset humum.
 67 Hic in laudatos librato corpore saltus
 68 incultae accipiet linea texta comae,
 69 argentata alius carae sandalia sponsae
 70 deferet, huicque haerens oscula multa dabit.
 71 Laeta per immensos saltus, per florida rura
 72 ibis sylvestri, Furnia, vecta sono,
 73 intonsi colles referent ad sidera nomen,
 74 inque tuis pastor laudibus omnis erit.
 75 Tunc me non pigeat, vitreis ubi fontibus umbra
 76 procubat, et musco garrula lympa latet,
 77 jungere languidulos tecum, mea Furnia, somnos,
 78 aut in frigidulis ponere membra vadis.
 79 Emittam tecum pecudes in pascua laeta,
 80 et tecum pariter cognita ad antra vocem.
 81 Dumque animi curas gracili solabor avena,
 82 et recinam pastas, garrulus, inter oves,
 83 tu distenta premes caelestibus ubera palmis,
 84 spumabunt pressis dolia ab uberibus :
 85 ipse coronatis vario de flore quasilis
 86 sub lucem properans lactea dona feram ;
 87 his addam molles violas, montanaque fraga,
 88 atque inventa cavis mella sub ilicibus.
 89 At tu, magne Pater, fumanti lecta canistro
 90 ne temne, et tristi parce supercilio :
 91 lactea prima olim placarunt munera Divos
 92 lacteus ante aras obriguitque liquor.
 93 Non costum, myrrhamve deus, non cinnama norat,
 94 imbuerat sacros victima nulla focos,
 95 sed placatus erat, puri seu munere lactis
 96 seu faceret dulci rustica turba mero.
 97 Haec ego fingebam, gravior cum nuntius aures

98 verberat et tristi me jubet esse foro.

AD FURNIAM

E1_02 v.1 Conde, precor, nitidum pectus, mea vita, nigrantes
 2 conde oculos, tenerum, Furnia, conde sinum :
 3 ex istis manifesta parat mihi bella Cupido,
 4 meque satis quondam perdidit iste sinus.
 5 Ne, mea, mi mollesque manus, niveosque lacertos
 6 ostende et digitos comprime queis morior :
 7 hae mihi convellunt animam, atque his corda liquescunt,
 8 sunt leves digiti spicula, non digiti.
 9 Auratos vela crines, et candida colla,
 10 et quae me perimunt bella labella tege.
 11 Quid tandem est tibi, quod non aegrae incendia menti
 12 praebat aut animam non subito rapiat ?
 13 Tantillum blando aspexti me, lux mea, vultu,
 14 cum coepi totis sensibus effluere.
 15 Blanditiis potis ipsa tuis me perdere amantem es,
 16 et vulsam e medio tollere corde animam.
 17 Ah morior, quo saeva fugis ? Quo quo aspera vultus
 18 avertis placidos, candidulasque manus ?
 19 Jam mihi te totam retegas, jam pascere ocellos
 20 me sine, et in caris ponere cor labiis :
 21 fac mihi delicias omnes, et eburnea colla
 22 luminaque et tenerum, Furnia, pande sinum.
 23 Basia sit roseis jam jam dare pressa labellis,
 24 et meliore necis condicione frui :
 25 sic placidus moriar, sic dulci lumina morte
 26 nostra suis manibus frigida condet amor ;
 27 quae si obeunda mihi est, hos novit spiritus artus
 28 in nullo melius deposuisse loco.

DE COMA FURNIAE

E1_03 v.1 Sparserat intonsum Zephyro mea Furnia crinem
 2 et steterat fusa candida colla coma.
 3 Assyrio molles flagrabant rore capilli,
 4 cui cedat patrias dives Arabs segetes.
 5 Demissi hi niveis humeris sensim illudebant,
 6 aurorae quales per rosea ora fluunt.
 7 Dein flavum undabat diductis crinibus aequor,
 8 nam maris aurati praebuerat speciem.
 9 Excepere auras, illis ut, forte relicto
 10 Idalio, errandi consilium fuerat,
 11 aligeri pueri, et circum strepitantibus alis
 12 accurrunt cuncti, depositis facibus.
 13 Haesere hic paulisper luminis admirati,
 14 cujus ad aspectum vix bene constiterant.
 15 Implicitis tandem inter se manibus digressi
 16 Ambrosii crinem verticis insiliunt.
 17 Hos et sensisses passim tibi dicere, et illos :

18 "Aut temere, alma Venus, diceris orta mari,
 19 fluctibus aut ex his prodisti in luminis oras
 20 quos cumulat flavo vertice caesaries."
 21 Risisti, teneraque manu dum forte capillum
 22 colligis, et docta ne fluat arte vetas,
 23 errantes strophio albenti conectis amores :
 24 apta tibi intonsae vincla dedere comae,
 25 unde etiam infractis meditantur retia nodis
 26 et mi alios praeter flammea texta parant.
 27 Non capti certant contra se demere vinclis,
 28 solvere nec dulces his labor est laqueos,
 29 nexibus adstringunt sese sed quamlibet arctis,
 30 ireque in aeternos discipiunt laqueos.
 31 Nimirum stellis ardentibus intertextam
 32 aucturam norunt sidera clara comam,
 33 sic Ariadnaeae fulgent nunc dona coronae
 34 et Berenicaei verticis exuviae.
 35 Parcite tuque Ariadna tamen, tuque o Berenice,
 36 vobis haec visa est dignior esse polo.

AD FURNIAM

E1_04 v.1 Ignea quam rapidis instet fervoribus aestas
 2 et vexet nimius corpora fessa calor,
 3 ut morbi ingeminant tristes, ut funera vulgo
 4 densentur, siccos sole ferente dies,
 5 aspice, quae teneris aeternum haesura medullis
 6 sola mei es cordis certa reperta quies,
 7 et te fallacis capiant mala taedia vulgi,
 8 Furnia, et Argei commoda ruris ama.
 9 Hic fluviis acres ambo solabimur aestus,
 10 et gelidas umbras glauca salicta dabunt.
 11 Montivagi occurrent, silvestria numina, Panes
 12 et tua miscebunt nomina caelitibus :
 13 difficile his vultu fueris discrimen in uno,
 14 diceris Pallas queis modo dicta Venus.
 15 Errantem densa lustrabunt saepe corona,
 16 laudibus et cupient grandia posse tuis,
 17 pro quibus apricos in sarta nitentia flores
 18 disponent capiti mollia vincla tuo.
 19 Cerea pars tenui et subter lucentia lana
 20 poma ferent, uncis moraque rapta rubis,
 21 pars calathis croceos viridi cum fronde racemos
 22 expedient, et quae plurima rura ferunt.
 23 Herbosae hic aliquis post nota umbracula saepis
 24 prostratus lenes dividet ore modos,
 25 et nunc cervicem roseam, nunc caerea dicet
 26 brachia, nunc aptas corda movere manus,
 27 post laetae attingens tam rarum frontis honorem,
 28 plurimus in gemino sidere frontis erit.
 29 Hos igitur propera ad lusus, tibi candida Nymphae
 30 mella ferunt, coetus concelebrantque pios.
 31 Rumpe moras, ripis pridem te flumina amoenis
 32 et Tiburtini litoris ora vocat,

33 ipsa tibi assultant latos armenta per agros,
 34 largius et solitas terra ministrat opes.
 35 Hic tibi qui mentem oblectet prospectus eunti
 36 arboreum secto limite quadrat iter,
 37 et passim laetis ulmi cum vitibus umbras
 38 associant, picto caespite terra viret.
 39 In medio placidis fons est argenteus undis,
 40 pinguis et irriguas ebibit hortus aquas,
 41 sufficit et pecori fugiens per gramina rivus
 42 et dulci trepidat lata per arva sono.
 43 Parte alia hunc apibus detorquet plumbea parcis
 44 fistula, quae mammis scinditur innumeris :
 45 exiguum in rorem tumidis ructata papillis
 46 frangitur, et tenues efficit unda lacus ;
 47 Cecropia huc tuto properant examina aquatum,
 48 et strepit arguto murmure laetus ager.
 49 Non hic mordaces surgunt per pectora curae,
 50 nec somnos adimit buccina adunca leves,
 51 non hic bella vigent, caedes, non ferrea jura
 52 insanique absunt tristia damna fori,
 53 sed Cereris si certa fides, si munera Bacchus
 54 spondeat, et largo terra alimenta sinu,
 55 Laetitia, plausuque fremunt felicia rura,
 56 ipsa impulsa novis vocibus antra sonant :
 57 insultat pecus omne solo, viridesque per herbas
 58 cornibus obnixis proelia taurus amat,
 59 et reclinati pastorum in gramine coetus
 60 dicunt sylvestri carmina vincta pede.
 61 Nunc jaculo certasse juvat, nunc robore plantae
 62 certa sibi quisquis praemia victor habet :
 63 ille pedo, hic molli victor donabitur haedo,
 64 hic placidam niveo vellere gestat ovem.
 65 Decurrunt studiosa soli bona numina culti,
 66 contingi et nostro lumine laeta sinunt.
 67 Interpellati non hic deflentur amores,
 68 nec laesam queritur quisquam in amore fidem,
 69 sed corylos inter densas in valle reducta
 70 ille suam alloquitur, comminus illa suum.
 71 Degeret hanc olim ut vitam, Venus aurea caelo
 72 mutavit sylvas lanigerosque greges,
 73 Dumque suum gremio retinet pulcherrima Adonim
 74 et jungit socium, nocte juvante, latus,
 75 aut pueri teretes onerat cervice lacertos,
 76 languenti caelum defluit ex animo.
 77 O quotiens, celeres ageret dum monte Lacaenas,
 78 sustinuit duris crura notare rubis !
 79 O quotiens, seri excedens sub vesperis umbras,
 80 compulit immundos in sua tecta greges !
 81 Saepe etiam dulci stetit ad mulctralia cantu,
 82 caelesti cum sunt ubera pressa manu.
 83 Aligeri accurrunt pueri, positisque sagittis
 84 suscitatur ille ignem matris ad arbitrium,
 85 alter jucundo pariter famulatus amore
 86 ingerit ardenti ligna facesque foco.
 87 Ignavum pecus hic myrto frondente coercet,
 88 dulcibus alloquiis consonat omne nemus :

89 et dum paulatim primus concrescere lactis
 90 incipit et niveo cogitur orbe liquor
 91 detorquet roseam fragrantia ad oscula furtim
 92 cervicem et tacito murmurat ore Dea.
 93 Eia age ne sylvas neu ruris gaudia temne
 94 Furnia, quae Superi quae colit alma Venus.
 95 Nunc choreae cantusque decent dum fortior aetas,
 96 dum viget incolumis laeta per ora color :
 97 pellet canities lascivos arida amores,
 98 nec semper faciles experiere Deos.
 99 Maximus ipse Leo celsas, quas condidit, arces
 100 pacato aeternum, si licet, orbe colat,
 101 inque graves Persas ferrum destringat, et ultra
 102 Oceani fines proroget imperium.

AD VENEREM

E1_05 v.1 Alma Venus, frondosa colis seu litora Cypri,
 2 seu petis Idalii florida culta soli,
 3 si natum atque tua excolui mihi numina semper
 4 deque meo vobis carmine crevit honor,
 5 adsis, et puero instantem defende senectam,
 6 et quae multa vehit serior hora, veta.
 7 Venit ad extremi, heu facinus, jam tempora veris
 8 hic mihi non vano nomine dictus Apis.
 9 Tu puero, tu diva precor, per si qua salutis
 10 est tibi cura mei, protinus affer opem.
 11 Scis Dea, caelestes placuit cum exurere Divos
 12 quas tibi dent geminas lumina cara faces.
 13 Sentiatur ille prius raptae dispendia formae
 14 cui riget in tenero pectore dura silex,
 15 cedere qui nescit lacrimis precibusve moveri,
 16 ingenti pretio cui placet empta venus :
 17 huic macies niveos deformet turpiter artus,
 18 occupet et teneras hispida barba genas.
 19 Sic rosa purpurea pariter cum lumine Phoebi
 20 concidit, et nullo murice culta placet :
 21 non illam tenerae cupiunt in sarta puellae,
 22 non puer assidua quem face torret Amor.
 23 At meus aeterna vigeat puer ipse juvena,
 24 quem tantum pietas et benefacta juvant.
 25 Pulcher Apis vatium observat pia numina Musas,
 26 et cupit ut de se fama loquatur anus,
 27 muneribusque pios novit praeferre poetas,
 28 poscit amatorem nec gravis aera suum.
 29 Ergo fluant molles humeris, volitentque capilli,
 30 stillet et Assyrio myrtea rore coma :
 31 nulla queat labes oculos foedare loquaces,
 32 ah mihi non tantis sit superesse malis !
 33 Quid juvat obscuram stellis obducere nubem,
 34 candidaque indignis spargere membra notis ?
 35 Parcite, caelestes superi, confundere formae
 36 tot bona non ullo tempore digna mori,
 37 ambrosios potius affer Cytherea liquores,

38 ora tuas poscunt haec bene nata manus.
 39 Cogitat ut tereti clausus mucrone decorem
 40 flosculus exorta prodere posse die,
 41 sic juvenis primo nitidus sub flore juventae
 42 perstet, et autumni proxima damna putet,
 43 incolumisque genas lento nos torqueat igni :
 44 lux mea non alio vulnere dignus eram.
 45 Quid precor ah demens ? Zephyri temeraria jactant
 46 vota, Venus nostras abnuit ipsa preces :
 47 erumpit victrix niveo de corpore pluma
 48 laetaque virgineus deficit ora color.
 49 Quin seges eludet cupidum mox aspera amantem :
 50 curre age in amplexus, perfide, curre meos,
 51 tolle moras omnes, oblitaque gaudia junge,
 52 dum properat tacito curva senecta pede.

SUSIAE CAPELLAE INTERITUS

E1_06 v.1 Susia luminibus qua se pulcherrima nostris
 2 summovet, et celsa stat Jovis arce domus,
 3 advenio, Regina, tuo exhibitura dolori
 4 laeta modum, teneris tu modo parce genis.
 5 Lucidius tergo vellus ut fulgeat aureo,
 6 eque meo absistat flammeus ore nitor,
 7 aspice, quaeque tenax animum tibi cura remordet,
 8 jam celeri pereat diripienda Noto ;
 9 nam neque me tristes Orci rapuere tenebrae,
 10 implicuit tenerum nec Stygis unda pedem,
 11 Cerberus ingressu pavidam nec terruit ingens,
 12 nec rauco auditus de Phlegethonte fragor,
 13 collapsam fato nitidis sed Juppiter astris
 14 intulit, et claro mox dedit ore loqui.
 15 Scilicet hoc lacrimae nobis peperere decorae,
 16 hinc geminus caeli fluxit et oris honor :
 17 ipsi etiam ante oculos sprete versantur amictus,
 18 turbata et flavo vertice caesaries,
 19 lacteolas tereti strophio cum exuta papillas
 20 prodebas culti tot bona rara sinus,
 21 cernere erat vittas capitis sine honore jacentes,
 22 et tenuis mitrae vincula fracta manu.
 23 Non tulit hanc speciem summi regnator Olympi
 24 turgidulo victus lumine, Diva, tui,
 25 me fati vires ultra sed comminus adstans
 26 hinc coetus inter collocat aetherios :
 27 augeat Erigones lacrimis ne lucida tantum
 28 illatus caelo Sirius astra canis,
 29 mi quoque devictus fletu victusque querelis
 30 siderei voluit limitis esse locum.
 31 At pavidam exceptit gremio Venus aurea molli,
 32 attractans tenera terque quaterque manu,
 33 et totam ambrosiae liquido perfudit odore :
 34 continuo ignavus corpore torpor abit,
 35 quaque manum abstersit, niveum duxere colorem
 36 vellera, suntque modis lucida facta novis.

37 Hic quoque ni refugis, Charitum mollissima possum
38 ora tibi et dulces mille referre jocos,
39 meque sinu ut teneant blando, digitoque procaci
40 incitet ut morsus illa vel illa leves :
41 illa mihi collum niveis affusa lacertis
42 applicat, haec epulas fida ministra gerit,
43 tum varios sternunt ignoto gramine flores,
44 spirat composito molliter aura toro.
45 Nulla tamen maestam derivant gaudia mentem,
46 nec caeli prae te regna tenere juvat.
47 Verum audita mihi, Parcae fatalia nentes
48 dum volvunt certa ferrea pensa manu,
49 accipe, teque alto prognatam sanguine Divum
50 fortunae scopulos transiliisse puta,
51 cujus adhuc tenero vicisti sola furorem
52 pectore, tot saevis exagitata malis.
53 Vix bene prodieras dias in luminis oras,
54 exul cum tristi cogeris esse fuga :
55 expulsum regno fatis comitata parentem
56 flexisti primis barbara corda sonis,
57 et deformatos fraterna morte penates
58 deflesti exsectis ante sepulchra comis.
59 Funeris hoc tibi tum quam late vulnus adactum
60 e nostro poterit discere quisque rogo,
61 cui tumulum maerens statuis frondente sub umbra,
62 cum fuerim vestrae pars quotacumque domus,
63 purpureosque addis flores, et thuris honorem,
64 quicquid et e gleba divite mittit Arabs,
65 quique olim inscripto nectebat gemmeus auro
66 cervicem, exiguus nunc quoque millus habet.
67 Nunc, si vera monent Divae, properantibus horis
68 ultimus errorum jam tibi finis adest.
69 Effluxere tibi, effluxere incommoda tandem,
70 ipsaque lux properat candidiore nota,
71 cum tibi splendenti procedens noctifer ore
72 conjugii felix candida vincla ferat,
73 Gonsagae magno quo juncta Aragonia virgo
74 optati capias regna superba tori.
75 Mincius assurget nitidis tibi largius undis,
76 aequoraque elatis cornibus alta petet,
77 Eridanusque pater taeda tumefactus herili
78 certabit magno caerulus Oceano,
79 excitae toto properabunt flumine Nymphae,
80 et quaesita imo gurgite dona ferent,
81 his fluet ad taedas Satyrorum laeta juvenus
82 et molles ducent lata per arva choros.
83 Tu vero, Regina, modum jam pone querelis,
84 et tristi cessent imbre madere genae :
85 ecce tibi comitum series effusa per agros
86 texit odoratis florida sarta rosis,
87 et secum meditata toro jam carmina promit,
88 jam quatit accensas fax tibi laeta comas.
89 At cum maternos invisēs nupta penates,
90 hic ubi sunt viridi nostra sepulchra solo,
91 ante meum praefata rogam mox dicito : "Amoris
92 exiguo huic cineri nunc quoque sensus inest."

AD LYCORIM

E1_07 v.1 Ne quid forte animae dormis dum, pulchra Lycori,
 2 amittas, furtim noctu ego surripio ;
 3 namque tuis felix componens oribus ora
 4 aurarum quicquid difluit excipio.
 5 Et sic excipio tenuis quod spiritus inde
 6 tunc nullus pereat, seu temere aufugiat,
 7 nam foret haec ingens nimium jactura gravisque,
 8 quam mi gemmarum pondera nec relevent,
 9 nec messes Arabum valeant solarier ullae,
 10 vecta nec e rubris munera litoribus.
 11 Quin etiam extremo recubes si, perfida, lecto
 12 amplexu molli nec miserum foveas,
 13 hanc tamen excipio spatiis exclusus iniquis
 14 et mihi non una est huc adaperta via.
 15 Quod si tu quoque, lux mea, idem hoc conarere,
 16 esset et ambobus hoc pariter studium,
 17 Ipse tibi, tuque ipsa mihi carissima vita,
 18 et foret exemplo copula nostra bonis.

AD LYCORIM

E1_08 v.1 Spumeus aggeribus ruptis dum migrat in Urbem
 2 Tibris, et insanis fluctibus arva premit,
 3 Aeneadumque quatit moles a sedibus imis
 4 atque illisa altis turribus unda gemit,
 5 dumque sibi templis male temperat illa vetustis
 6 et medio Nais caerulea visa foro,
 7 sola tui miserum subiit me cura, Lycori,
 8 si possem in tanto turbine adesse tibi.
 9 Ipsa videbaris Tuscis factura procellis
 10 crimen fallaci tollere rore comam,
 11 et pariter lassas immani gurgite palmas
 12 diducens, nostram saepe vocare fidem.
 13 Quid facerem ? Incertus tollit se ad sidera torrens
 14 ignotoque furens tramite lympa furit.
 15 Nusquam Urbis facies, emergunt undique fontes,
 16 atque infesta tenent stagna, lacusque vias,
 17 fluminaque in domibus saevis effusa cavernis
 18 in sicco prohibent ponere membra solo
 19 ah quotiens pedibus tectas invadere Syrtes
 20 constitui vitae prodigus ipse meae !
 21 Ah quotiens audax demisso fune pependi,
 22 cum mea nescio quo membra soluta metu !
 23 Saepe animum optavi magicas demittere in artes,
 24 abnuit officium sed mihi lingua suum ;
 25 saepe etiam in parvi speciem compacta phaseli
 26 sunt mihi portarum claustra revulsa manu,
 27 findere quo possem subitas de more paludes
 28 atque inopinato limite adesse tibi

29 hasta vicem remi fuerat subitura, repente
30 effusus periit cum mihi, vita, labor
31 ipsa etenim rimosa amni patuere recepto,
32 nec bene contactis dissiluisse vadis,
33 ut mea tunc raucos intorquens vota per aestus,
34 Tibri pater, ventis irrita ferre dabas :
35 "At viridi in ripa, flavos forte Ilia crines
36 dum pectit, roseis incaluisse genis
37 diceris, et gelido flammis sensisse sub antro,
38 optato cupiens te implicuisse sinu,
39 sed neque te viridi pectens in litore crinem
40 Ilia, nec placido accendit amore Venus :
41 nam misero facilem se se indulisset amanti
42 cessissetque meis fletibus unda minax.
43 Saepe Euro, nimbisque simul dum ferveret aequor,
44 et fremerent imis humida regna vadis,
45 oppositum niveo trudebat pectore Pontum
46 Leandrus, placido dignus amore frui :
47 felix, cui densae totiens cessere procellae,
48 et disclusa aequas praebuit unda vias ;
49 te quoque credibile est altum, Portune, secanti
50 adnantes socias applicuisse manus.
51 Tollere tunc animos decuit, cum barbarus hostis
52 tot male servatas diripiebat opes.
53 Ille deum infandos templis subjecerat ignes,
54 erubuit tantum cum pia flamma scelus,
55 ille idem maestam viduabat civibus urbem,
56 cum fluere molli mollior ipse pede.
57 Tunc hi laxandi fontes, lymphaque perenni
58 ipsa tibi haec fuerant arva premenda, pater,
59 cingendusque fuit tantis erroribus hostis
60 qui totiens nostris cladibus auctus abit.
61 Tu tamen incurvas peregrinis fontibus undas
62 arcessens, nigro prolue cuncta mari :
63 nam quantum rapido consumpserit aequore vortex
64 quaeque urgent atris stagna refusa vadis,
65 tantum Romano confectum patre resurget
66 qui te arctum certis finibus esse volet ;
67 ipse tibi objectas feriens stridoribus arces
68 sub tanto disces vindice vincla pati.
69 Romulidae fractas elisi gurgitis undas
70 spectabunt, late despicientque minas,
71 cumque tuo cernent factum, pater optime, ductu
72 ne noceant amnes, ne noceatque fretum,
73 divinos statuent tantis pro rebus honores
74 nulla queat veniens quos soluisse dies."
75 Talia dum surdas frustra jactamus ad auras
76 maestaque in aequoreos solvimus ora Deos,
77 ecce tibi, nitidis arridens flumina ocellis,
78 obliquas retro cedere cogis aquas :
79 caeruleus flammis imo sub gurgite Tibris
80 hausit, et insolitam sensit ad ossa facem,
81 continuo pressis per culta nitentia rivis
82 labitur, et tumidas leniit amnis aquas.
83 Ipsa tibi magnos componunt aequora motus,
84 et resident altis flumina missa jugis,

85 perque vias urbis sedatis amnibus, omnis
 86 remigat expulso Romula turba metu.
 87 Quod si iterum, blando deflectens lumina vultu,
 88 instabas niveis conspicienda genis,
 89 ad limum exustus viridi tabesceret antro
 90 qui modo Romanis moenibus horror erat.
 91 Interea, nota refluxus dum conditur alveo
 92 atque refert versum lympham inimica pedem,
 93 reddamus Superis laeti jam vota, Lycori,
 94 plurima quae excepi, si mihi salva fores,
 95 atque iisdem pariter juncti versemur in arvis
 96 atque eadem tibi sit, quae mihi, parva domus.
 97 Sic fuerit cunctos demum sprevisse furores,
 98 sicque dabunt nullos flumina saeva metus.

AD CINNAMAM

E1_09 v.1 Dum tibi purpureus vestit color ora, genasque
 2 virgineus teneras enitet ante decor,
 3 lactea dum molles ludunt per colla capilli
 4 et flagrant miris oscula cara modis,
 5 dumque decus roseis cedunt tibi, pulchra, labellis
 6 purpureum Charites, puniceumque Venus,
 7 ulla nec est forma quae se tibi conferat audax,
 8 Solis anhelantes qua videt orbis equos,
 9 tu cura resoluta levique, et nescia amorum
 10 effugias placidi regna superba Dei ?
 11 Nec Venerem tractasse velis, neu dulcia furta,
 12 libera nec miti colla dedisse iugo ?
 13 Forsitan hoc veteres decuit, mea vita, puellas,
 14 cum nondum Veneris promptus ad arma puer,
 15 cum neque adhuc formae studium, nec divite gemma
 16 cura fuit longas disposuisse comas.
 17 Non crinale aurum norant, non lucida pallae
 18 tegmina, non ostris cognitum usus erat ;
 19 nulli tunc puro stillabant tempora nardo,
 20 vix dederant hirtae spicea sarta comae,
 21 tunc neque Coa viam textrix effecerat auro,
 22 vellera solerti texueratque manu.
 23 Per dorsum horrebant saevarum terga ferarum,
 24 mollia tunc frustra vellera gessit ovis.
 25 Has inter primae contendit spicula pugnae,
 26 telorum imprudens, saevitiaeque puer,
 27 quodque rubor fuerat tales fixisse puellas,
 28 vertit in audaces tela cruenta feras.
 29 At flexi in melius postquam moresque, vetusque
 30 desuevit cultus, formaque coepta coli est ;
 31 quaecumque incerta sternebat rura sagitta
 32 deserit, et mediis urbibus errat Amor.
 33 Hic si forte aliquam norit praestare puellam
 34 duritiae, et stulta virginitate capi,
 35 quanto illam absorbet correptam vortice amoris,
 36 pallentem excruciat quotve, quibusve modis !
 37 Pellicere in fraudem nec te id, mea Cinnama, possit,

38 quod nulla fueris tacta puella face :
 39 vidi ego quae miseros quondam lusisset amantes
 40 in luxum cana post abiisse coma.
 41 Sic quondam Pholoe placido pugnabat amori,
 42 simplex, nec stultos senserat ire dies,
 43 nullae illam molles poterant flexisse choreae,
 44 spreverat una omnes dura puella jocos.
 45 Ergo subtilem deponit vertice mitram,
 46 aurea nec fuco splendet ut ante coma,
 47 cognita nec teneras nectunt Sicyonia plantas,
 48 candidulo illudit sed stola longa pedi,
 49 impediunt longae crines candentia vittae
 50 vincula, purpureus deficit ora color :
 51 aspiceret quisquis viduata monilia collo,
 52 Heu frustra rarum quaereret ille decus.
 53 Risit Amor cultusque novos, mentemque puellae,
 54 "Tuque olim, dixit, tota futura mea es."
 55 Obrepebat iners paulatim virginis aetas,
 56 ultorem sensit cum male tuta Deum :
 57 occupat huic viridis languentia viscera pallor,
 58 suffusis venis ante cruore levi,
 59 frustra jucundi contingit munera Bacchi,
 60 munera fastidit quae tulit alma Ceres.
 61 Odit jam longae candentia vincula vittae,
 62 mutatae et sera prospicit arte comae,
 63 circumdat teneris rursum Sicyonia plantis,
 64 candidulo illudit nec stola longa pedi.
 65 Quis fore credebat ? Premeret cum senior aetas,
 66 Vestales tandem deserit illa focos.
 67 Praecipiti ruit in furias mox acta dolore,
 68 Di, capiti pestis sit procul ista meo.
 69 Nec tibi tam saevas optem, mea Cinnama, curas :
 70 ah mihi non tanti sint tua tela, puer !
 71 Sed moneo, teneris apti dum lusibus anni,
 72 dum viget incolumis laeta per ora color,
 73 tu Venerem, natumque colas, volucresque sagittas
 74 suspice, habet magnos justa querela Deos.

AD LYCORIM

E1_10 v.1 Ergo ego, qui teneris tantum sim lusibus aptus,
 2 te sine longinquas cogor inire vias ?
 3 Attamen abscessu pallescere desine nostro,
 4 ullaque perfidiae damna timere meae.
 5 O pereat quisquis dominae, mea cura, Lycori,
 6 disjunctus potuit non meminisse suae !
 7 Hunc potui, mea vita, tibi exemisse timorem,
 8 in nostrum haeserunt cum modo tela latus.
 9 Pallueram, totoque color diffugerat ore,
 10 visaque erant diris pectora hiare modis,
 11 te tamen ingeminans unam jam frigida lingua,
 12 unam qua poterat voce rogabat adhuc.
 13 Tantum non pigros latices, et flumina adibam
 14 lurida, qua manes subvehit unda pios.

15 Ipsa oculis suberas non secius, ipsa medullis
16 haerebas nostri funeris una comes.
17 Et quem jam fuerat flamma absumptura suprema,
18 urebat splendor me tamen ille tuus ;
19 urebant roseaeque comae, roseaeque papillae,
20 et qui me rosei surpuerant digiti.
21 Occurris tum nuda sinum, scissoque capillo,
22 et votis oneras aethera flebilibus ;
23 nec mora, semianimem niveis complexa lacertis,
24 talia cum multo dicta dolore refers :
25 "Siccine fatales sine me compleveris annos,
26 o nimium indigna Molsa perempte manu ?
27 Molsa meae quondam columen, spesque unica vitae :
28 scilicet haec de te vota relicta mihi.
29 Me quoque transadigit quae te manus impia ferro,
30 clausaque sunt fato lumina nostra pari."
31 Hic tibi mox animae caeci patuere recessus
32 et mea lustrasti viscera luminibus.
33 Ecquid te in nostro mirata es corde tenentem
34 imperia, et penitis te dare jura locis ?
35 Infixum stridebat adhuc sub pectore vulnus,
36 nam latus hoc fuerat nil nisi vulnus hians.
37 Qui tibi non aditus, quae non patuere latebrae ?
38 Qui tibi se sensus occuluere mei ?
39 Parce igitur nostro frustra diffidere amori
40 et me non firma saepe vocare fide.
41 Ipsa prius versis properabunt flumina lymphis,
42 destituentque suas lucida signa vices,
43 atque hieme in media flavas teret area messes,
44 nullaque distincta tempora lege fluent,
45 quam tua non supplex semper vestigia lustrem
46 meque tuis facibus non periisse juvet.
47 Profuit interdum dulci caruisse puella,
48 intermissa magis commoda saepe juvant ;
49 acrior ipsa instans urget, flammisque ministrat,
50 mutua cum renovat gaudia pulchra Venus.
51 Sic natos patriamque videt, carosque propinquos,
52 et veteres celebrat laetior usque lares,
53 olim caeruleas audax qui spreverat undas
54 excurrens celeri per vada salsa rate.
55 Ergo insperanti caelo seu missus ab alto
56 obrepam, optatos corripiamque sinus,
57 osculaque in roseis linguam signata labellis,
58 fenore quae largo grata repende mihi.
59 Quam me tunc reducem cupidis spectabis ocellis,
60 quam longas nolles non prius isse vias,
61 tantum aliena, precor, nostro vestigia lecto
62 sint procul, et nobis mutuus afflet amor.

II

AD MICHAELEM MAIUM

E2_01 v.1 Omnia venturo laetantur Caesare, Mai,
 2 grataque compositus otia mundus agit,
 3 laeta Pales agros, atque ipse revisit Apollo,
 4 et squalor campis omnibus ater abit.
 5 Caeroleus placido Tibris jam defluit amne,
 6 in mare sanguineis qui modo fluxit aquis,
 7 fortia quaeque virum volvebat corpora nuper,
 8 fronde coronatas sustinet unda rates.
 9 Pendentesque inter dumosa rupe capellas
 10 herboso pastor gramine membra levat,
 11 quem modo silvarum vasto latuisse recessu
 12 compulerant tristi classica pulsa sono.
 13 Sic jam Caesareae praecurrens candida puppi
 14 adventum Pax est testificata Dei :
 15 aspice quam molles substernunt aequora venti,
 16 litoris extremi vix ferit unda laterus.
 17 Arbitrator ipse maris rabiem Saturnius arcet,
 18 vastaque sublata temperat arva manu.
 19 Solve ratem, et pelago, Caesar, te crede patenti :
 20 increpitant celeres carbasa lenta Noti.
 21 Nec salis infidi subitas horresce procellas ;
 22 caerulea sunt fato regna minora tuo.
 23 Ipsa Venus curvo convellens litore funem
 24 trudet caelesti robora sacra manu,
 25 aeternamque petens Romanis incluta pacem
 26 velorum plenos diriget alta sinus.
 27 Subsident tumidi ventosa per aequora fluctus,
 28 verbaque lascivus nautica discet Amor.
 29 Parte alia classem Nereides admiratae
 30 lustrabunt densis pinea texta choris,
 31 et levibus circum verrentes aequora palmis
 32 divinos fundent ore sonante modos.
 33 Fessa tibi Ausoniae, pugnax Hispania, tellus
 34 jam dudum absentis invidet ora Dei,
 35 desertum et queritur Tibrim, praelataque Iberi
 36 flumina, et auriferi litora fulva Tagi :
 37 sis licet atque orbi, Caesar, spes una regendo,
 38 Ausonis ante omnes attamen ora tua est.
 39 Quare age te tandem meritis accinge triumphis,
 40 Imperio sedes haec magis apta tuo est.
 41 Attigeris primi vix dum bene litoris oram
 42 occurret sparsis cum tibi Roma comis,
 43 occurret tibi Roma olim pulcherrima rerum,
 44 at nunc regales dilaniata genas,
 45 vulneraque illa gerens, ob quae vel barbarus hostis
 46 optet tam saevas non habuisse manus.
 47 Tu flentem solare oro, et miserere precantis,
 48 Italiam salvo Caesare flere nefas.
 49 Aeternum lapsis sic te succurrere rebus
 50 permittant vitae candida fila tuae.
 51 Sic tibi victus Arar totiens, magnusque Garumna

52 languidior famulis in mare currat aquis.
 53 Interea et mea dum frustratur gaudia Caesar
 54 advenit et votis serior ipse meis,
 55 nos juvet in gelida prostratos ilicis umbra
 56 ad liquidi somnos ducere fontis aquam,
 57 quaeque tibi in ramos procumbunt, inclyte Mai,
 58 grandia nunc pleno carpere poma sinu,
 59 nunc et felices Musarum expromere cantus,
 60 qua fugit irrigua garrula lympha via.
 61 Olim Caesareis dabitur cum regna triumphis
 62 posse loqui, et captos ore referre Duces,
 63 unus eris, nostri celebrent quem saepe libelli,
 64 proxima post illum tu mihi cura venis.

IN MORTEM ELVIRAE

E2_02 v.1 Cum primum aethereis moriens gressum intulit astris
 2 Elvira, et summa constitit arce poli,
 3 hanc animae primum densa cinxere corona,
 4 quique pii coetus arva beata colunt,
 5 et secum : has nostras quaenam pulcherrima sedes
 6 lux habet, atque novus enitet unde decor ?
 7 Nam neque piscosi linquens fera murmura ponti
 8 ad superos tali se tulit ore Venus,
 9 abductam patriis nec quae se fleverat oris
 10 pampineas flectens culta Ariadna rotas.
 11 Ast ubi vis patris speciem quae pulchra referret
 12 consalvi, et cunctis agnitus ille vigor,
 13 ille decor, Sebethae, tuas qui terruit urbes,
 14 Gallicaque invicta contudit arma manu,
 15 illam adeo mulcere omnes, et tollere cantu,
 16 atque iterum in blandos quaelibet ire sonos :
 17 "Huc ades, o Regum soboles, decus addita caelo,
 18 teque inter nitidum sidera sidus age,
 19 conjugis unde tui longum miserata dolorem
 20 pelle age de tristi pectore amaritiam,
 21 insatiabiliter qui te nunc deflet ademptam,
 22 nescius abrupto vivere conjugio.
 23 Quaeque premis teneris fulgentia sidera plantis
 24 concilies forti sic Dea blanda viro,
 25 nixus ope ut patriaque et sanguine clarus Ibero
 26 per proavum laudes, perque parentis eat,
 27 et simul ingentes superet spes Caesaris almi,
 28 queis magni pondus sustinet imperii,
 29 seu male foedifragos vocet in certamina Gallos,
 30 seu properet Turcas cominus ire truces.
 31 Hoc tua nunc poscit pietas, sanctique pudoris
 32 illa tibi constans tempus in omne fides,
 33 hoc tecum aethera ludit qui parvulus aula
 34 ante diem ereptum quem brevis hora tulit,
 35 scilicet ut magni felix tibi conjugis ora
 36 exprimat et curas leniat usque tuas."
 37 His dictis rarum ambrosiae sparsere liquorem,
 38 oscula mox roseis casta dedere genis,

39 ignotoque comam cinxerunt numina flore,
 40 et dederunt flavae gemmeaserta comae.
 41 Illa Patrem complexa alto sublimis Olympo
 42 accubat, et curas despicit inde leves.
 43 At tu quem regem certatim pinguibus arvis
 44 expetit hinc votis Tiberis, et inde Tagus,
 45 pone modum lacrimis ; sat tristia lumina maesti
 46 vidimus, Elvira est jam tibi fleta satis :
 47 magnaue vos facilis quondam concordia junxit,
 48 post en alterius funera vivit adhuc.

AD CAROLUM CAESAREM

E2_03 v.1 Dum te Sirenum retinet terra hospita, Caesar,
 2 Sebethus riguo qua fluit amne pater,
 3 postque graves pelago exhaustos terraque labores,
 4 quis auxit titulos Africa tonsa tuos,
 5 hospitio indulges, clipeique oblitus et hastae,
 6 jure tua sequeris commoda parta manu.
 7 Roma tibi auratos componit sedula currus,
 8 queis vectus sacra conspiciare via.
 9 Captivos addit famulis cum fluctibus amnes,
 10 multaue diversis oppida capta locis.
 11 Tum super his tumidi late maris exstat imago,
 12 caerulea victrici marmora classe latent.
 13 Ipse fugam male fisus aquis, levibusque sagittis
 14 admisso celerat Arriadenus equo,
 15 mox Numidum gentes, Maurusiaque agmina cernas
 16 tendere captivas ad tua frena manus.
 17 His te muneribus supplex veneratur, et ora
 18 absentis sperat cernere posse Dei ;
 19 quin de septenis vox est modo collibus ingens
 20 exaudita moras increpitare tuas.
 21 Parthenope sat culta tibi est, linque otia, Caesar,
 22 ista solet summis ora nocere viris :
 23 quos tu nunc victos justis ulcisceris armis,
 24 deliciis eadem fregerat ante suis.
 25 Carpe viam, tibi prisca situm jam marmora ponunt,
 26 et Latii facies jam nova facta fori est,
 27 aequaque dispositis consurgunt tecta columnis,
 28 qualia felices vix coluistis avi,
 29 ut pede inoffenso miles simul urbe vagetur
 30 sternitur assidua glarea dura manu,
 31 et disjecta silex apta conjungitur arte,
 32 cunctaque in aequales compita secta vias.
 33 His mihi Caesareum vigit dum nomen in oris,
 34 nil nisi Romanum subdita terra tulit,
 35 hinc progressa olim divi tela horrida Juli
 36 terrarum late perdomuere sola.
 37 Vix bene Romuleis, Caesar, consederis arvis,
 38 in caelum cum te gloria summa feret,
 39 ex tuto hinc regum poteris contundere vires,
 40 victori insultet gens modo si qua suo.
 41 Communi pater auspicio Romanus inibit

42 foedera, queis geminum scandet ad astra jubar.
 43 Huc ades, en celebres iterant Capitolia plausus :
 44 sume triumphali lora regenda manu,
 45 his tua jamdudum debetur laurea templis
 46 et junctus niveis currus eburnus equis.
 47 Ecce tibi intacta nivei cervice juveni
 48 ad pingues properant procubuisse focos,
 49 ecce tuos cogit Victoria laeta jugales
 50 ad frena, aeternum est quae tibi facta comes.
 51 Aspice ut hibernis vernet tibi mensibus annus,
 52 utque hieme in media floreat omnis ager ;
 53 obductum nulli praecingunt aethera nimbi,
 54 ducta nec obtusi est luminis ulla dies :
 55 scilicet eventus sunt omina laeta futuri,
 56 annuit et votis Juppiter ipse meis.

AD ALOISIUM PRIULLUM VENETUM

E2_04 v.1 Ille ego perpetuus Tarpei culminis hospes
 2 oblitus patriae tempus in omne meae,
 3 quem neque bellorum strepitus, nec barbarus ensis,
 4 saeva nec in medio castra locata foro,
 5 dira nec illuvies morbi commota malignis
 6 flatibus, aut saevi terruit ira Jovis,
 7 Romuleis tandem procul hinc a collibus aevum
 8 degere, quis credat ? Docte Priulle, paro.
 9 Scilicet effetae vires, et serior aetas
 10 me miris hebetem reddidit usque modis.
 11 Nam neque formosas habeat quod Roma puellas,
 12 ipsos quae possint sollicitare Deos,
 13 nec crebris hominum moveor quod coetibus unus
 14 excipiar, comitum concelebrerque choris ;
 15 ipsa etiam signis sordent nunc mollibus aera,
 16 altaque semotis marmora vecta jugis,
 17 templaque diversis operum variata figuris,
 18 quaeque suum retinent nunc quoque saxa decus.
 19 Aeternum auspiciis quondam Dis condita in aevum
 20 moenia, septenis facta superba jugis,
 21 parcite, sat vobis, vitae dum nostra sinebant
 22 tempora, et haec studiis mollibus apta, datum.
 23 Sat, Fortuna, tuos olim spectavimus aestus,
 24 arbitrio versas dum fera cuncta tuo,
 25 hoc quodcumque aevi posthac mihi fata reservant,
 26 vivendum omnino est commodiore solo :
 27 illic nulla animi sanos ubi gloria sensus
 28 avertat, falsis exagitetque bonis,
 29 neu curam exhibeant fasces, aut purpura Regum,
 30 sceptraque ab indignis saepe ferenda viris,
 31 aera ubi nec quisquam aut populi tabularia norit,
 32 aut inhiet saeva commoda rapta manu.
 33 Musarum at vigeant passim commercia sancta,
 34 quarum percussus numine sacra fero,
 35 priscaque simplicitas, et nescia fallere vita,
 36 Saturno qualis regna tenente fuit,

37 sollicitos animos habuit cum nulla cupido,
38 nec dederunt agris jugera certa modum,
39 molliaque indomiti gesserunt colla juvenci,
40 praeda nec immiti tunc fuit agna lupo,
41 et juvenum sine fraude cohors, sine fraude puellae
42 jungebant molles laeta per arva choros.
43 Nulla coercebat moechos censura, metusque,
44 ignotumque illis nomen adulter erat,
45 ergo nec infectos spectarunt sanguine rivos,
46 arva nec innumeris sparsa rubere notis,
47 nec galeas curvo pulsarunt vomere inanes,
48 externis vites nec posuere viris,
49 illorum extimuit dominatus nemo superbos,
50 barbarus Ausoniam queis male victor habet.
51 Euganeis talem te vitam ducere terris
52 non obscura mihi fama, Priulle, refert,
53 et nunc Medoaci properantes carmine lymphas
54 sistere, qua viridi procubat umbra solo,
55 nunc et Socraticis puros e fontibus haustus
56 sumentem, humano grandius ore loqui,
57 quin Latio ignotas dudum sic detegis artes,
58 praebeat ut victas Graecia et ipsa manus.
59 Felix, cui superum genitor mortalia quaeque
60 esse dedit studiis inferiora tuis,
61 cui pedibus subjectus amor sceleratus habendi,
62 et Veneris quicquid numina magna queunt.
63 His tecum decuit potius me vivere in oris,
64 quam spectasse urbis funera Romuleae,
65 quam saevas acies, truculenti et Teutonis iras,
66 ustaque ab Hispano milite templa Deum !
67 Vidi ego Vestales foedis contactibus actas
68 nequicquam sparsis exululare comis,
69 collaque demissum ferro gravibusque catenis
70 Romanum sacra procubuisse via,
71 quaque Jugurtha ferox ornaverat ante triumphos
72 saucia bracchato vertere terga Duci.
73 Probrosis, Tiberine pater, te conde ruinis,
74 et maestum in terris altius abde caput.
75 Non tamen admissum hoc facinus pia Numina inultum
76 permisere diu, quod meminisse piget :
77 dira lues caeli vitio namque orta repente
78 admissum in nostros expiat omne scelus,
79 et quos nullus adhuc ferro consumpserat hostis
80 abstulit adversi saevior ira Dei ;
81 nimirum antiquae revocans ad praemia laudis,
82 Aeneadam his gentem perculit illa malis.
83 Tot tibi servatus rapidis jam saepe procellis,
84 Euganeis tecum sedibus esse volo,
85 quas nec saeva olim violarunt Caesaris arma,
86 attritae Venetum cum premerentur opes,
87 nec subiere unquam dirae contagia pestis,
88 innocui tantum profuit ora situs.
89 Exceptus laribus parvis, et paupere cultu,
90 illic compositis otia rebus agam :
91 mi tantum longo diducens stamina tractu
92 observet custos limina semper anus,

93 atque eadem ad lunam quaesitis montibus herbis
 94 componat cantus, ominaque atra fuget ;
 95 quod si sub notis iterum Venus aurea signis
 96 erroneas posthac nos habuisse velit,
 97 sedula fabellis teneros soletur amores,
 98 et desueta novis ignibus ossa levet.

AD CAROLUM CAESAREM

E2_05 v.1 Roma tibi aeternos quamvis meditetur honores,
 2 seque tuis meritis perneget esse parem,
 3 laetaque saxorum moles nunc excitet altas,
 4 nunc jubeat laudes aera referre tuas :
 5 cuncta olim collapsa cadent labentibus annis,
 6 ignibus assiduis aut liquefacta ruent.
 7 Parva loquor, tectis structas immanibus urbes
 8 tandem post multas obruet una dies,
 9 procumbent regum sublimi vertice turres,
 10 saxa etiam fato stantque caduntque suo.
 11 Pyramidum sic alta stupet miracula Memphis
 12 nil nisi nunc viridi busta jacere solo ;
 13 sic quondam celsae steterant Carthaginis arces,
 14 classe capi melius quae potuere tua.
 15 Ac ne longinquo res haec mihi teste probetur,
 16 Roma tibi exemplo nunc tua, Caesar, erit :
 17 nam quae tu saxo spectas monimenta vetusto
 18 obducta incultis delituisse rubis,
 19 haec eadem magnis Divum celebrata triumphis
 20 aeternum fuerant tum Jove digna coli.
 21 Admotam caelo primum hanc age suspice molem,
 22 amphitheatrales hanc iniere joci :
 23 his accepta olim cuneis Romana juvenus
 24 laudibus Augustos vexit ad astra suos.
 25 O ubi totque hominum plausus, tot gaudia, Caesar ?
 26 Me miserum, Stygiis cuncta premuntur aquis.
 27 En geminas huc flecte acies, cerne inclyta Thermas
 28 munera, Caesaribus congrua dona tuis :
 29 victori haec illi populo posuere, tepenti
 30 quo fessus valida membra foveret aqua.
 31 Tum Circi ingentes poteris spectare ruinas,
 32 edita sunt isto munera prima loco.
 33 Consessu hic caveae, magnis circensibus actis,
 34 ignotum subiit rapta Sabina torum.
 35 Quid tibi nunc lautas studeam monstrare Carinas,
 36 quidve Palatinae tecta superba domus ?
 37 Quid cumulata novis Capitolia celsa trophaeis,
 38 te duce queis iterum Sidonis ora patet ?
 39 Quid quae templa Jovi divis Agrippa secundis
 40 struxerit, aeratas commemoremque trabes ?
 41 Quid fora, quid pontes, quid ductas aere columnas,
 42 plenaque longinquis flumina vecta jugis ?
 43 Ipse vides tantis quid nunc e molibus exstet,
 44 vix cineres servat diruta Roma suos.
 45 At non haec nato dederas promissa gementi,

46 errantes veheret cum, Citherea, lares ;
 47 saepe illum profuga jactatum classe per aequor,
 48 his ultro hortata es, nocte silente, sonis :
 49 "Sume animos, tibi fata tuae fumantia Trojae
 50 moenia restituent nobiliore solo,
 51 teque polo indigetem sacri dabit unda Numici,
 52 aeternum patrios quo tueare Deos.
 53 Incensas frustra, Danai, subvertitis arces :
 54 vestra olim hic gelidus obruet arma cinis.
 55 Debetur Latio nostro de sanguine Julius,
 56 ipsum vix timeat quo duce Roma Jovem."
 57 Parce, Venus, tua dicta ferunt temeraria venti,
 58 vixque sui reliquum Roma cadaver habet :
 59 scilicet has fati leges, haec foedera quondam
 60 inscripsit rerum duro adamante parens.
 61 Cuncta situ, et densis pereunt obducta tenebris,
 62 mors subit, et populis improba bella ciet,
 63 sola aevi transgressa vias, transgressa sepulchri
 64 verberat astriferum Fama superba polum.
 65 Aonias igitur, Caesar, venerare sorores,
 66 aeternum ut celebri carmine vectus eas,
 67 nam quem Melpomene placido spectaverit ore
 68 vivet, et hic omni funere major erit.
 69 Magna quidem, extremo, fateor, dum fulminat orbe,
 70 ense potens nuper haec tua dextra dedit :
 71 mansuris ni forte tamen celebrabere cartis,
 72 Martis et Aonio cinxeris arma choro,
 73 nil tibi quod populos late modereris et urbes
 74 proderit, aut Lybico sole perusta coma.

AD BENEDICTUM ACCOLTUM CARDINALEM

E2_06 v.1 Me tenet invitum, fieri quod posse negabam,
 2 Romani genius, mi Benedicte, soli ;
 3 nam quotiens animo spatia interjecta recursant,
 4 disjuncti queis nunc cogimur esse procul,
 5 non mihi Phaeacum dentur si mollia rura,
 6 quicquid et Alcinoi parturit almus ager,
 7 ulla queant aegrotum animum deducere Tempe,
 8 nec sine te regum munera magna juvent.
 9 Scilicet illa in me reciderunt fulmina, dextra
 10 sunt Vaticani quae modo torta Jovis,
 11 cum tibi mille neces, intentaque pectore tela
 12 una animi virtus reppulit alta tui ;
 13 mox contemptor opum, nullo non vulnere pressus
 14 fortunae, Eridani pingua culta petis,
 15 aemula qua magnae surgit Ferraria Romae,
 16 exilio tellus facta beata tuo.
 17 Herculis hic primum hospitio, dextraque potitus
 18 naufragii tabulas colligis ipse tui,
 19 atque opibus tanti subnixus principis, idem
 20 quod fueras rebus incipis esse bonis.
 21 Ambustum Phaetonta olim sic gurgite molli,
 22 os sacrum attollens, excipit Eridanus,

23 vulneraque exsiccat lymphis, muscoque virenti,
 24 membra prius crebris ictibus usta levat.
 25 Dein vasto juvenem ductum sub pumicis antro
 26 sistit, et in molli collocat ipse toro.
 27 Conveniunt virides passim antra ad cognita Nymphae,
 28 fidentemque nimis suspiciunt puerum.
 29 Ille animam revomens et sacros fulminis ignes
 30 undosam complet sulfure et igne domum.
 31 Tum pater Eridanus fatorum arcana resolvens
 32 innixus cubito talia dicta dedit :
 33 "Tempus erit magnus nostra haec cum litora adibit
 34 hospes fulminea tactus et ipse face,
 35 qui secum Phoebumque vehat, Phoebique sorores,
 36 et doctae quicquid Pallados ora sonant.
 37 O ego tunc quantis assurgam fluctibus ingens,
 38 arduus ut caelo cornua summa feram !
 39 Creta Jovem jactet, Latonae pignora Delos,
 40 Accoltus longum litora nostra colat.
 41 At tu, magne Pater, terris quem fata regendis
 42 per populos sanctum jura dedisse velint,
 43 ne saevi, fortique viro, cum pectore culpam
 44 praestarit nitido, caetera tuta putes."
 45 Hactenus Eridanus ; faciles quae dicta puellae
 46 certatim densis plausibus excipiunt.
 47 Ipse pater leni compescens murmure fluctus
 48 caerulea pacatis marmora findit aquis.
 49 Fortunate, tuos jam tum praesensit honores,
 50 flammatum ablueret cum Phaethonta Padus.
 51 At mihi jucundae perstent si tempora vitae,
 52 abstineantque avidas impia fata manus :
 53 qualis apis, verni species cum temporis egit
 54 trans pontum celeri frigora pulsa fuga,
 55 crura thymo redolens florum per summa vagatur,
 56 compleat ut dulces, cerea texta, favos,
 57 talis ego, annuerint mites si forte Camenae,
 58 intexam cartis te, Benedicte, meis.
 59 Quod si me tenebris suprema obduxerit hora,
 60 et mutos cineres flebilis urna tegat,
 61 laudibus ipse tuis felix, aevoque fruare,
 62 et Pylis superes stamina lenta senis ;
 63 nostraque praeteriens magnus dic busta sacerdos :
 64 "Huic misero fatum sors mea dira fuit."

EQUUM HIPPOLYTI CARDINALIS MEDICES ALLOQUITUR

E2_07 v.1 Immensi tergo dum tu spes excipis orbis,
 2 Cyllare, et audaci proteris arva pede,
 3 dumque illaesa levi transmittis gramina cursu,
 4 et varios orbis implicuisse juvat,
 5 Hippolytum serva incolumem, seu cursibus auras
 6 provocet, immites seu petat ille feras.
 7 Non hunc saevities sylvis collecta sub altis
 8 indignum cura quem tueare facit.
 9 Non praelata olli cunctis venabula rebus,

10 nescia non lacrimis cedere corda piis,
11 sed mite ingenium, et faciles sine crimine mores,
12 et quae vel minimum pectora fellis habent.
13 Hoc mecum exposcunt rerum pulcherrima Roma,
14 quaeque sedent humeris publica vota tuis,
15 quae modo Pannonios vexisti tuta per agros,
16 Itala cum saevo res tremefacta metu est.
17 Finibus ingruebat nostris manus horrida Phoebi.
18 Extremos relinquens exorientis equos,
19 id conata Italas ut frangeret aspra secures,
20 et Latio eriperet parta trophaea Jovi :
21 hoc onus, hoc ipsum quo nunc residente per urbem
22 incedis fusus colla decente juba,
23 obstitit, et tristes subito puer arcuit iras,
24 et nostris jussit finibus esse procul.
25 Ipsa suos doluit populos Aurora fugari,
26 et fusa erubuit lactea colla coma.
27 At glacie implexos crines, ulvaeque palustri
28 Danubius medio sustulit amne pater ;
29 mox ait : "O saeculi lapsis spes unica rebus,
30 egregium late cui decus arma dabunt,
31 nec minus ipsa inter gladios assueta vocari
32 virginei princeps Calliopea chori,
33 ecce tuum resonant nostra haec jam litora nomen,
34 et tua jam didicit facta referre Getes.
35 Vince alios, Eoa tibi se spicula dedunt,
36 et praebet pharetras Media victa suas."
37 Dixit, et hibernis horrentia flumina ventis
38 impulit, et strictum pectore rupit iter.
39 Quas nobis clades, nobis quae funera victor
40 tunc valida timidus depulit ille manu,
41 es memor ardentem totiens qui laudis amore
42 sensisti, gelido qua riget axe Tomus.
43 Non tamen ista tui fuerit pars sola laboris,
44 relinquenda est iterum Martia Roma tibi,
45 Imperii domus alta jugis circumdata septem,
46 qua nullum in terris pulchrius exstat opus.
47 Quod tua Romanus totiens pater otia rumpat,
48 desine de fato tot tua damna queri :
49 nam pretium mox grande feres, cum tempora spicis
50 laeta tuos repetet Pax redimita lares,
51 atque obducta malis squalebunt arma tenebris,
52 nec saevos acuent horrida bella metus.
53 Interea visendus Arar, magnusque Garumna,
54 et Rhodanus, celeri qui secat arva pede,
55 quique Liger placidis humectat gramina lymphis,
56 vastaque caeruleis aequora findit aquis.
57 Tu modo commissum redde, oro, Cyllare, pignus,
58 et differ parva gaudia nostra mora :
59 effeto sic cum torpebunt corpore vires,
60 vinxerit et celeres tarda senecta pedes,
61 vectorem aetheria tanti te ponderis aula
62 Juppiter augusta collocet ipse manu ;
63 sicque novum stellis niteas decus addite, vester
64 quae dudum assuevit praemia ferre labor.

CATHERINA HENRICO

E2_08 v.1 Scilicet hoc titulis deerat, Rex maxime, nostris,
 2 conjugio pactam non tenuisse fidem ?
 3 Et quae nos sancti vinxerunt foedera lecti
 4 pellicis indigno posthabuisse toro ?
 5 Di bene, longuinquis tantum quod saevus in oris
 6 aggrederis dira condicione nefas,
 7 haec semota orbi vasto tibi regna recessu
 8 cinctaque dant animos fluctibus arva truces.
 9 Est aliquid, fateor, ventos audire furentes
 10 et quae perpetuo murmura pontus habet.
 11 Non sic Penelopen Ithaca digressus Ulysses
 12 oblito potuit linquere conjugio :
 13 illum non saevae mutarunt pocula Circes,
 14 tristia nec longae tempora militiae.
 15 Sed Divum acceptus mensis, et divite lecto,
 16 praetulit his vultus, Penelopea, tuos,
 17 cumque olim posset caelestia templa tenere,
 18 maluit optato conjugis ore frui.
 19 Affixam saxis patriam sic maximus heros,
 20 parva lapis quamvis nil nisi nudus erat,
 21 praetulerat caelo, longis erroribus actus
 22 ut posset casto membra levare toro.
 23 At mihi nescio quae titulis non aequa maritis
 24 subducit lecti dulcia vincla mei,
 25 possidet et stupro dotalia regna nefando,
 26 et gerit in gremio commoda nostra suo.
 27 Attamen hanc falso praetexens nomine culpam
 28 jam famae narras consuluisse tuae,
 29 et fratris mihi saepe torum, taedasque priores
 30 objicis, et vani nomina conjugii,
 31 cui quondam primis fueram desponsa hymenaeis,
 32 concordi heu nimium nupta futura domo.
 33 Invidere meis contraria numina votis,
 34 numina ad humanas semper avara preces :
 35 nam ruit ad taedas properans dum laeta juventus,
 36 araque Corycio fulget odora croco,
 37 illibata tibi linquens sua gaudia, manes
 38 ante diem indigno funere mersus adit.
 39 Crede mihi, vanas frustra te vertis ad artes,
 40 si speras tantum posse latere scelus.
 41 Arbiter ipse orbis Clemens, quo sospite terris
 42 pax viget, et sancto reddita jura foro,
 43 criminis admonitus tanti, "Crudelia, dixit,
 44 vota foves nostro terra aliena solo",
 45 priscorum et volvens veneranda volumina patrum
 46 subscripsit causae maximus Ille meae.
 47 Perge pater, sanctique pius defende pudoris
 48 vincula, non ulli dissoluenda viro.
 49 Ipse deum genitorque et rerum summa potestas,
 50 cujus finitimum crederis esse caput,
 51 hoc ipsum ut strueret, taedas celebrasse jugales

52 dicitur, et pictis accubuisse toris,
53 pocula cum pingui mutans Acheloia musto
54 cessit ab humana condicione procul.
55 Scilicet has leges, aeternaque foedera sanxit
56 antiquata meo ut conjuge nulla forent ?
57 Et quae compositis laudaverit ipse libellis
58 improbet inconstans, dissimilisque sui ?
59 At non ipsa fori discrimina saeva recuso,
60 judicis innocuus non timet ora pudor :
61 non ego sortitus vereor, non ferrea jura,
62 te quaesitorem mi licet urna ferat.
63 Sed tibi nullus adest aequus, te iudice, iudex,
64 et praejudicio concidis ipse tuo ;
65 posterior causa sic me jam saepe priorem
66 arguis, atque artes deficiuntque doli.
67 Ipsae etiam quae te circumstant, perfide, gentes
68 et populi lata quos dicione premis,
69 libera si detur tantum nunc copia fandi,
70 te memorent sacram conscelerasse fidem,
71 atque odiis forsitan consurgant undique justis,
72 hisque tuis animis praemia digna ferant,
73 diraque devotum poscant ad proelia regem,
74 aut celeres properent in tua fata manus.
75 At mihi quam praefers saevo male saucius arcu,
76 dum censes animo cuncta licere tuo,
77 nempe illam, nostros quae ponere sueta capillos
78 saepius abrepta vulnera sensit acu,
79 quae nobis totiens liquidis vestigia plantis
80 permulsit, dura nec satis apta manu,
81 credita cui fuerat lecti custodia nostri,
82 cum te non puduit dicier esse meum.
83 Forsitan hic referas veteres Briseidos ignes
84 et Telamoniadae corda subacta ducis :
85 Thessalus at formam Briseidos arsit Achilles
86 et Tecmessa toro principe digna fuit,
87 sed te quae moveat facies, quae gloria morum,
88 dispeream si tu dicere, saeve, potes.
89 Saepe tamen cur sim tibi idonea visa requiro,
90 quam diris perstes ludificasse modis.
91 Dumque memor repeto priscorum nomina avorum
92 vix capiunt magnos atria longa duces :
93 Caesare nil dederunt majus pia numina terris,
94 huic tamen e nostro est sanguine ductus honos.
95 Quid tibi nunc magnis referam me regibus ortam,
96 aut jactem antiquae nomina clara domus ?
97 Una mihi mater titulos Isabella, genusque
98 una parit, ceras implet et una graves,
99 quae quondam calathos telasque exosa Minervae
100 Martia feminea sustulit arma manu,
101 moxque sua fractos sensit sub cuspide reges,
102 caesaque captivos terga dedisse duces.
103 Evectae donec caeli super aethera virtus
104 condidit in victo parta sepulchra solo,
105 testis Anas, Sicorisque vago qua praenatat alveo
106 terra potens, fulvi testis et unda Tagi.
107 I nunc, atque tuos nostris componere reges

108 aude, compositis femina major erit
109 imparibus ne forte ferox te in foedera vinclis
110 deceptum quondam nostra venire putes
111 ire per aeternos licuit mihi matris honores,
112 sim licet ipsa uno Caesare fulta satis.
113 Qui tamen es nostri tu quem sic paenitet oris,
114 congressu ut perstes abstinuisse meo ?
115 Reginam thalamo qui sic excludis, et ipsa
116 connubii exagitas jura fidemque premis ?
117 Tecum ego florentes potero sic turpiter annos
118 exegisse, doli nec meminisse tui ?
119 Aut ego te in castum polluto corpore florem
120 invasisse viri nomine sustineam ?
121 Pellicis ut vano tandem correptus amore
122 exultes spoliis, impie, virgineis ?
123 Ipsaque caeruleis sim fabula nota Britannis
124 et salvo vivens his ferar orba viro ?
125 O mihi terra satis quaenam tunc ima dehiscat ?
126 Quodque petat summa hoc fulmen ab arce caput ?
127 Debueram natae jugulo demissa cruoris
128 flumina luminibus supposuisse meis,
129 et patriis artus sparsos apponere mensis,
130 objicere et saevis viscera nostra feris.
131 Sed tibi quae nulla est pietas crudelibus ausis
132 obstitit, et saevum dextra refugit opus :
133 vestra decent tales animorum pectora motus,
134 conveniens nostro est mitior ira solo.
135 Haec potius vivat, plenis et nubilis annis
136 matris ad exemplum nubere cauta neget.
137 Nata vides : patriis genitor te pellere regnis
138 nititur, unde gravis sit tibi inusta nota,
139 et matrem fraudare toro justisque hymenaeis,
140 heu nimium turpi victus amore, parat.
141 Si tamen hic positus mitescat litibus olim,
142 saevaque det rapidis vota ferenda Notis,
143 Sola tibi et tantis servatis sedibus haeres
144 suscipias tenera sceptra regenda manu,
145 tu faciles sine lite toros, sine lite hymenaeos
146 perpetuo summum carmine posce Jovem,
147 maternumque animo repetens persaepe dolorem
148 in nostro discas cuncta timere malo.
149 Tisiphone crinem brevibus redimita colubris
150 intulit ardentes in mea damna faces,
151 obscaenum et carmen diro ingeminans ululatu
152 tristia connubiis omina fudit avis ;
153 ipsa sacros ignes devovit pronuba Juno
154 atque infelici est zona soluta manu.
155 Vestra tamen, superi, si numina laesa reposcunt
156 errorum poenas, supplicibusque favent,
157 haec loca vi quondam Caesar populatus et igni
158 saeva jugum doceat aequora vestra pati.
159 Quodque olim potuere Dei tela horrida Juli,
160 dum furit, et medio fulminat ille mari,
161 caeruleo doceat frustra vos fidere ponto,
162 lataque nequicquam fluctibus arva tegi.
163 Caesaris ista horrent etiam nunc litora nomen,

164 quo duce, ni fallor, bis potuere capi :
 165 ille sibi objectas ausus transcendere moles
 166 intentata prius per vada fecit iter,
 167 et male defensas in praedam fervidus arces
 168 vertit, et obstantes milite fregit opes ;
 169 sic ventos sprevit virtus Romana furentes,
 170 et gressum ignotis intulit aequoribus.
 171 At precibus si quis superest locus, et tua possunt
 172 inflecti blanda pectora dura prece,
 173 dejectas hinc natam oculos, hinc aspice matrem,
 174 nec pigeat tantis ingemuisse malis ;
 175 aeternum sic laeta viris, sic laeta puellis
 176 tellus subjecto floreat ista mari,
 177 et mala cuncta ferant per terras irrita venti,
 178 deprompsit laeso quae mihi corde dolor.
 179 Quod si sola tuo videor non digna cubili
 180 et tristi perstas vivere dissidio,
 181 nec te jura movent, precibus nec flecteris ullis,
 182 nec furiis obstat filia parva tuis,
 183 me duce laeta tuae mittantur nuntia genti,
 184 Henricum titulum mortis habere meae.
 185 Sedibus utque tuus genitor gestire sub imis
 186 possit, deque tuis surgere nominibus :
 187 audiat uxoris spoliis et caede superbum
 188 pellicis indigno colla dedisse jugo.
 189 Vos vero ultrices mecum properate sorores,
 190 et miserum diris pellite imaginibus,
 191 ut neque jam dulci declinet lumina somno,
 192 nec sanae valeat mentis habere modum,
 193 sed flammis cinctae, quoquo vestigia vertat,
 194 illuc Tartarea lumina ferte face.

AD LYCORIM

E2_09 v.1 Quid fles abscissi totiens dispendia crinis,
 2 qui tibi mox circum largius ora fluet ?
 3 Ista iterum fusos argentea colla capillos
 4 accipient, reduces nec mora longa dabit ;
 5 interea nitidos fletu corrumpere ocellos
 6 desine, et aureolis, lux mea, parce genis :
 7 non deerunt laquei miseros queis perdere amantes
 8 possis evinctos in tua jura trahas.
 9 Tam male nota tibi sic es fortasse, Lycori,
 10 crinibus ut tantum posse placere putes ?
 11 Semper erit nostris cur sis praelata puellis,
 12 mille adsunt causae, mille decenter erunt.
 13 Ipse aderam, exuvias capitis cum stringeret aegrae
 14 dira manus, ferro demeteretque comam :
 15 aurea caesaries terram spargebat, et ille
 16 qui poterat Phoebi colla decere nitor.
 17 Dicebam mecum : "Tali se Juppiter imbre
 18 optatum Danaes contulit in gremium".
 19 Tum cordis subiit fulvo quod vertice captum
 20 saevus Amor densis crinibus implicuit.

21 Accessi quaesitum amens, si forte rediret,
 22 artius at miserum vincierant oculi.
 23 Cum tibi non desint tot retia, culta Lycori,
 24 invidiam superis parce movere Deis,
 25 et mecum abreptos potius tu collige crines,
 26 vernabant capiti qui modo, pulchra, tuo.
 27 Et venerare deum medicae qui praesidet arti,
 28 castaque cum multa carmina funde prece,
 29 primitiasque offer capitis, dabit ille fluentes
 30 illudant quae humeris, involitentque comas.
 31 Ergo iterum Zephyro sparges radiantia fila,
 32 apta novum solis vincere fila jubar,
 33 atque iterum accensis flavescet crinibus aequor
 34 et capiti raptae restituentur opes.
 35 Tunc levi molles quaerens in fronte capillos
 36 vix cupies tantis non caruisse malis :
 37 sic tenuata stupet frondator vimina silvis
 38 tam cito florentes explicuisse comas,
 39 sufficiunt sic prata novos inserta colores,
 40 vidimus hiberna quae violata nive.
 41 O tibi tum quales vario de flore corollae
 42 ornabunt postes, Phoebe superbe, tuos !
 43 Ipse ego votivam feriam de more juvencam,
 44 et spargam viola multicolore solum,
 45 atque addam incisam tali mox carmine laurum,
 46 obtendat templi quae tibi sacra fores :
 47 "Formosae optatos crines quod, Phoebe, puellae
 48 restituis, laurum hanc dedicat illa tibi."
 49 Nos viridem interea juvet exercere juventam,
 50 non intellecto dum fugit hora pede.

OVA GALLINACEA

E2_10 v.1 Ova tibi Alpinis nivibus certantia Thyrsis
 2 agresti mittit munera lecta manu :
 3 nec tantum haec nitidus commendat candor, at ipse
 4 oblongus formae perpetuusque decor.
 5 Et ni tam tenuem refugis cognoscere fetum,
 6 hujus ad exemplum structa theatra vides,
 7 utque aliis praestent spectes si candide Alexi,
 8 admittas mensis protinus illa tuis ;
 9 et merito : in vanos ficta est vel fabula lusus,
 10 vel nasci his Ledaee pignora debuerant.
 11 Si requieta petis, seu forte recentia prosint,
 12 iudice me, potior sit tibi cura recens.
 13 Conficienda tamen primo tu sumpseris haustu,
 14 impare quae numero lex jubet ipsa capi :
 15 haud alium in morem vasto Polyphemus in antro
 16 Dulichios fertur ventre vorasse viros,
 17 appulsus Siculis olim cum naufragus oris
 18 rex Ithacae undosum per mare currit iter.
 19 Non ingrata tamen fuerint tibi mollia, quaeque
 20 exiguo motu subtremuisse solent ;
 21 at quae dura vocant, duris messoribus illa

22 apponat prudens qui mihi structor erit.
 23 Vidi ego qui premsumque manu, multumque rotatum
 24 auribus admorit terque quaterque suis,
 25 scilicet explorans quae fida silentia servent,
 26 quaeque satis firma sint sibi nota fide ;
 27 nec desunt sole adverso qui saepe lacunas
 28 scrutentur parvas liberiore polo.
 29 Ipsa etiam haec, quando tenuant dispendia lunae,
 30 cum latet, et versis fessa recurrit equis,
 31 vera cano, et secto comperta putamine pridem,
 32 aligeri fuerat cum mihi cura gregis.
 33 Cetera rura olim repetens, notosque recessus
 34 exsequar, et plenis dona feram calathis.

III

AD ALEXANDRUM FARNESIUM, CARDINALEM AMPLISSIMUM

E3_01 v.1 Curarum ingenti Paulus dum mole repulsa
 2 se solis fessum colligit usque locis,
 3 et modo in Herculei delatus Tiburis arces
 4 damnata aestivo deserit arva Cane,
 5 aut intempestae surgunt qua monte Graviscae
 6 communi nescit condicione premi,
 7 tu gressum comitatus avi, pulcherrime, tecum
 8 vota virum defers publica, vota nurum,
 9 suspensamque diu variis terroribus urbem,
 10 absentem dum te cogitat, unus habes.
 11 Ipsa etiam latos Pallas demigrat in agros
 12 et tecum posita Gorgone rura colit,
 13 quemque graves juvenem mox est ductura per artes
 14 Musarum sanctos gaudet inire choros.
 15 Atque sub Aonia recubantem detinet umbra
 16 qua tibi trita olim, culte Tibulle, via est.
 17 Interdum magni laetum in secreta Maronis
 18 deducit, lateri subsequiturque comes,
 19 suggerit aut Tusci solers tibi carmina vatis,
 20 qualia Phoebeo dixeris ore cani.
 21 Scilicet his magno sensim praeludit alumno,
 22 quem properat castris praeposuisse suis.
 23 Illinc principiis disces quibus omnia constant,
 24 ortaque queis coeant, dissiliantque modis.
 25 Dum licet, absentem doctae celebrate sorores,
 26 urbe illi est Pallas sola futura comes.
 27 Has avus ad metas primis se exercuit annis
 28 et tibi, quos superes, leniit ante gradus ;
 29 qui pendentem a se merito nunc aspicit orbem,
 30 et divisa alto cum Jove sceptrum tenet.
 31 Quam bene Tarpeium fulsistis numina saxum
 32 illa qua terris praefuit ille die !
 33 Nutabat patrum sententia, nec satis ullus

34 imperio dignus qui frueretur erat :
 35 acri summatum studio sibi quisque petebat,
 36 et regni cunctos sollicitabat amor.
 37 Obnixique animo inter se non cedere, septis
 38 vix bene se admorant, intulerantque pedem,
 39 cum Pauli species cunctis augustior haesit
 40 quam possent oculi, cordaque ferre patrum.
 41 Quaeque illi custos oculis afflarat honores,
 42 composuit motus dia Minerva truces :
 43 aurea sic illi medio stetit agmine sella
 44 atque dedit victas sacra caterva manus.
 45 Sic saeva immites miscent dum proelia venti,
 46 seu Zephyrum Boreas, seu premis Eure Notum,
 47 undarum si forte parens caput extulit antro,
 48 irae subsidunt, et freta dira silent ;
 49 ipse levi circum volitans vasta aequora curru
 50 concita subjectis marmora mulcet aquis.
 51 Nil umquam studiis aequae est concordibus actum,
 52 ut cunctos una mente fuisse putes ;
 53 et merito : quis enim tantos componere fluctus
 54 bellorum victor Marte furente queat ?
 55 At tu magne puer terris suscepte regendis,
 56 olim cum caeli templa tenebit avus,
 57 ex illo virtutem hauri, verumque laborem,
 58 teque illi similem, qua potes arte, velis,
 59 ut tenero agnoscens se in vultu, tempora cernat
 60 ipsa iterum per te lapsa redisse sibi.

AD OCTAVIUM FARNESIUM IUVENTUTIS PRINCIPEM

E3_02 v.1 Exstinctum flebat quondam Venus aurea Adonim,
 2 purpureo vellens vertice maesta comam,
 3 et gemitu colles complebat, questibus auras,
 4 votaue erant miserae maxima posse mori.
 5 Undabant nitidae strophio labente papillae,
 6 et niveo solitus fugerat ore color,
 7 quoque magis largo rorabant sanguine vepres,
 8 humebant Veneris lumina fessa magis.
 9 Surgebant picti pueri de vulnere flores,
 10 e Divae lacrimis rubra anemona micat.
 11 Maerebat fractis natorum turba pharetris
 12 voxque erat una illis : pulcher Adonis obit.
 13 Pulcher Adonis obit, responsant undique sylvae,
 14 omne sonat litus : pulcher Adonis obit.
 15 Arsuro struxere pyram tela ipsa facesque
 16 inque rogam absumptis arcubus errat Amor.
 17 At fratrum numerosa cohors simul astat inermis
 18 obsequio cupiens demeruisse Deam :
 19 praeparat hic cineri dignos quos solvat honores,
 20 cogitat hic pulchro quo legat ossa cado ;
 21 pars puros haurit latices fluvialibus undis,
 22 pars auras penna versicolore ciet.
 23 Ipse mali tanti post myrtum delitet autor,
 24 et tantum dentes flet potuisse suos.

25 Hac specie impulsus summi regnator Olympi
 26 mox juvenem statuit fronde virere nova.
 27 Nec mora consurgit densis hastilibus arbor
 28 et Veneris magnae commoda truncus habet :
 29 in lentos abeunt candentia brachia ramos,
 30 in frondem molles obriguere comae.
 31 Dum mira novitate Venus stupet inclyta, maeror
 32 elapsus sensim est, deseruitque Deam.
 33 Illa tamen complexa sui monumenta doloris
 34 purpureo tales edidit ore sonos :
 35 "Frons nova vive, precor, lacrimis quae consita nostris
 36 effulges sacro stipite cara mihi,
 37 nec nivibus violere ullis, nec sidere Cancri
 38 arescas, tristes neu timeas pluvias.
 39 Fetu aurum, flore argentum, ver fronde ministres,
 40 nec tibi deciduus decutiatur honor.
 41 Tempus erit regum exornes cum tempora victrix,
 42 et cedat foliis laurus odora tuis.
 43 Quin et Medorum sylvas egressa comantes
 44 sole sub externo cognita citrus eas,
 45 atque excepta novis pubescas finibus arbor,
 46 et vatium exurgas, me duce culta, labor.
 47 At tu, care puer, venantum gaudia adires
 48 parcius, et silvis mi caperere minus :
 49 te pereunte omnis cultus mihi cura recessit,
 50 atque unguentorum millia multa cadunt,
 51 omnia quae versa tibi pyxide fundimus, ut sit
 52 qui mea testetur dona perennis odor."
 53 Dixerat : hanc dominae luctum sensisse putares,
 54 usque adeo excusso stipite tota tremit.
 55 Effusus florum nimbus, quo pectora Divae
 56 plus solito redolent, luxuriatque sinus :
 57 riserunt nivei flores, risere papillae
 58 et miris fragrans aura vagata modis.
 59 Hac te, promissis ut stet Dea, nectere crinem,
 60 Octavi, magnis regibus orte, jubet :
 61 tu Veneris cape dona libens, et collige flores,
 62 dum juvat, et vitae candida fila sinunt.
 63 Et licet ipsa caput nitidum tibi lilia cingant,
 64 lilia caerulea conspicienda coma,
 65 queis passim assurgunt per prata nitentia flores,
 66 nec sola sunt alio germine laeta magis,
 67 queisque pater caelo rorantia cornua Tibris
 68 attollens Arabum despicit altus opes,
 69 hanc tamen antiquos Divum dignatus honores
 70 obrepisse tuis jam sine temporibus.

DE REDITU PAULI III PONTIFICIS MAXIMI

E3_03 v.1 Aspice dum rapidis saevit fervoribus aestas
 2 ut medio fregit se calor ipse die,
 3 ut molles spirent Zephyris felicibus aerae,
 4 dulcius et solito murmurat omne nemus,
 5 utque sui oblitus, flammis quae exusserat ante,

6 instaurat pulsa Sirius arva siti :
7 ipse pater dempto tandem luctamine Tibris
8 labitur, et placida se trahit amnis aqua,
9 et qua vix ulli poterant procedere remi
10 transvolitat nullo remige nixa ratis.
11 Quin mihi, quae toto Musas Helicone scienti
12 vix poterant justis verba coire modis,
13 in versum coniecta fluunt, subitoque calore
14 non accersito cuncta nitore cadunt.
15 Scilicet ipsa parens rerumque et provida fati
16 venturae Pacis omina certa dedit.
17 Di Latias tutantur opes, et praeside Paulo
18 despiciunt hostiles Itala terra minas.
19 Non ille aestivumque Canem, non torrida Cancri
20 sidera, non longas extimuitque vias,
21 dura nec infirmae, properat dum, fata senectae
22 invitum longa detinuere mora,
23 sed tandem ut diris confectum caedibus orbem
24 sublevet, et certa foedera jungat ope,
25 non pudet ignotis vitam traducere terris,
26 aut trabe piscosum sollicitare fretum.
27 Dant caedes, dant bella locum, positoque flagello
28 Bellona invisae commoda pacis amat,
29 et quocumque caput canis venerabile praefert,
30 candida pone subit, subsequiturque quies.
31 Nempe erat hoc, tota nuper quod Juppiter urbe
32 intonuit laevum, certaue signa dedit,
33 et Capitolinas jaculatus fulmine sedes
34 devovit telis bella cruenta suis.
35 Divinam agnovit vocem, monitusque Deorum,
36 mente hominem Paulus qua super unus abit,
37 moxque Deo plenus, cunctis retinentibus, urbis
38 sustinuit lacrimas posse videre suae.
39 Visendi studio concurrunt undique gentes,
40 exoptat reditus et sibi quisque bonos.
41 Utque alios servet, nullis non fluctibus illum
42 objectare sacrum flentque timentque caput,
43 quodque senex obeat tantum telluris, honorum
44 decernunt omnes huic merito titulos.
45 Laetus Alexander, magnae spes altera Romae,
46 ad latus it tanto conspiciendus avo,
47 et cunctos inter sidus juvenile refulget,
48 qualis ab aequoreis Lucifer ardet aquis.
49 Contudit ista truces animos clementia regum,
50 et promptas tardat ad fera bella manus :
51 hinc tantum venerata Deum gens effera quaeque
52 admitti ad sacros orat, avetque pedes,
53 hinc prono exposcit pacem diademate Gallus,
54 hinc ferrum in saevos vertis, Ibere, Scythas.
55 Vos quibus est odio vallum gestare sudemque
56 et galea nitidam sumere fontis aquam,
57 longinquus voti compos dum Paulus ab oris
58 optatos vultus, oraue sacra refert,
59 dicere jam reduci meritas accingite laudes,
60 nomen et absentis concelebrasse juvet.
61 Perque vias turis passim incendantur honores

62 et velent sanctos florida sertae focos,
 63 exhilarentque dapes, et vina liquentia mensas,
 64 nec renuat festa quisque madere die :
 65 inque orbem cyathos referens, non lente minister,
 66 fac pariter Paulum densa corona sonet.
 67 Huc ades, afflictis spes o fidissima rebus,
 68 uno quo fulta est publica causa duce,
 69 vindice quo firmis tandem radicibus haerens
 70 libertas magno parta labore viget :
 71 quam bene, te invita nuper cum mitteret urbe,
 72 arces respexit Juppiter ipse suas !
 73 Jungite jam tauros pueri, atque incumbite aratris,
 74 laetaque mollito condite farra solo,
 75 jucundamque simul palis adjungite vitem,
 76 unde etiam natis senior umbra cadat.
 77 Occupet hostiles vicino milite campos
 78 squalor, et abducto vomere cesset humus,
 79 et quem Turca ferox nobis injecerat, illi
 80 nunc regerant tristem classica pulsa metum ;
 81 illi ferratos duris incudibus enses
 82 procudat tristi sedulus arte faber,
 83 at nobis placeatque bidens, vomisque probetur,
 84 et pastoralis fistula facta modo.
 85 Tum circum innumera florescant oppida pube,
 86 insanus ferri quae viduarat amor.
 87 Di modo felices annos, et candida Paulo
 88 dispensent larga stamina ducta colo,
 89 ut toto demum felix Oriente subacto,
 90 quae facit ipse aliis, otia longa terat.

AD LYCORIM

E3_04 v.1 Cum primum croceo exsurgens Aurora cubili
 2 purpureo nitidum sparserit ore jubar,
 3 huc ades, o nostris jucundior unica ocellis,
 4 perfugium o nostris sola reperta malis :
 5 ipse aram properans viridi de caespite tollam
 6 ilice qua nigra densior umbra cadit.
 7 Tu modo candidulis vivo te flumine palmis
 8 abluere, sic etenim mos vetus ipse jubet,
 9 aram deinde tenens Lucinae numen adora,
 10 lacte Deam nivea sparge, puella, manu :
 11 curam illi partusque tui, vitaeque relega,
 12 namque aderit grato Diva ministerio.
 13 En tibi lacteolae turgent, mea vita, papillae,
 14 et renuunt strophio vix capiente tegi :
 15 sic quondam nitidis tumuit Venus aurea mammis,
 16 acer adhuc fuerat cum rude semen Amor.
 17 Infirmi et languent artus, sextum hunc tibi mensem,
 18 et sua jam plenus pondera venter habet.
 19 Ergo rite sacris mecum te accinge, Lycori,
 20 et reddas sanctis mascula tura focis,
 21 et quae te male habent fastidia longa, putato
 22 pignore mox parto grata futura tibi,

23 candida cum dulcis pendebit ad ubera natus,
 24 qui balbo matrem blandulus ore vocet,
 25 quique tuo irreptans gremio puerilia tendat
 26 brachia, dein collo se implicuisse velit.
 27 Interea qui saepe ingens incessit, edendi
 28 insolitus si te sollicitarit amor,
 29 ne pugnes, moneo, nulla est victoria pugnae :
 30 in re non poteris cautior esse tua.
 31 Informes quando maculas nondum editus infans
 32 duxit, et hinc foedis protulit ora modis,
 33 et turpi maestam rictu stetit ante parentem
 34 indignis sparsus corpora parva notis :
 35 sic nato ad luctum causas dedit inscia mater
 36 dum negat optatos sumere inepta cibos.
 37 Tu mihi, seu flava quamvis capiaris arena,
 38 seu placeat gelido crusta coacta gelu,
 39 et gusta glaciem, medioque ex flumine harenam,
 40 i, pete, nullus erit nam petiisse rubor.
 41 Otia tum placeant, mollesque sub arbore somni,
 42 et juvet in tota te nihil esse domo :
 43 vidi ego quae exitium tenero portarit alumno,
 44 dum varias operum curat, obitque vices.
 45 Leucippe exemplo tibi sit, quae forte marito
 46 sedula dum fesso comparat uxor aquam,
 47 et tantum arsurae ligna ingerit arida flammae,
 48 cum partu enecta est pene puella suo.
 49 Sunt tamen ipsa quibus studiis te pulchra, Lycori,
 50 oblectes, utero non inimica tuo.
 51 Aspice, formosos recipit jam terra colores
 52 laetaque purpureo flore renidet humus :
 53 tu quos in varios statuas duxisse liquores
 54 selige, parvus erit disposuisse labor ;
 55 horum stringe comas, summa et fastigia carpe,
 56 atque puellares carmine falle manus,
 57 inclusos phiala molles mox claude maniplos,
 58 rideat unde omnis sparsa liquore domus.
 59 Quin etiam sacras aris innecte corollas,
 60 canaque purpureis lilia junge rosis.
 61 Albenti interdum liceat subtexere peplo
 62 proelia, cumque suis horrida saxa feris,
 63 unde pares capitique decus, niveisque papillis,
 64 et culto incedas conspicienda sinu.
 65 Sed neque te pigeat certis cognoscere signis,
 66 an tibi sit fetus femina, sitve puer.
 67 Tu lateri blandire manu, si forte quod alvo
 68 inclusum est, dextra parte recumbit onus,
 69 ne dubita, aetherias properat tibi pulcher in auras
 70 natus materni cura decusque tori.
 71 Sunt etiam vitreum puro quae ex fonte liquorem
 72 exceptum cyathis omina certa putent.
 73 Ipsa sinu niveam prome, et sine labe papillam,
 74 mulsa cadat molli candida gutta manu :
 75 nam superinfusus lactis si dimovet undam
 76 humor, et hanc findens uniter ima petit,
 77 certa maris fetus dixerunt signa puellae,
 78 multaue praeterea quae numerare labor.

79 Hos te per lusus vitam traducere inertem,
 80 neu pigeat multa procubuisse rosa :
 81 cetera vernarum expediat tibi turba, Lycori,
 82 dum properant partus gaudia mille tui.

DE SANCTO MICHAELE

E3_05 v.1 Lux redit Accoltae renovans solemnia gentis
 2 laeta solet proprios qua coluisse Deos,
 3 Teque unum imprimis, vasti cui laeta juvenus
 4 aetheris assurgit, subsequiturque Ducem,
 5 Tartareae terror pubis, quem saeva tremiscunt
 6 agmina, et Eumenidum turba severa fugit :
 7 seu diras acies penetrare licentius oras
 8 luminis, intorta cuspide, sancte, vetas,
 9 immersasque chao involvis, tenebrisque malignis,
 10 invisio cogens subdere colla jugo ;
 11 seu trutina insontes animas suspendis in alta,
 12 digna sibi ut meritis praemia quisque ferat,
 13 et caelo ascribis cives, solioque receptas
 14 das superum sanctis accubuisse toris.
 15 Ergo ades, et positis, ales pulcherrime, telis
 16 ad tua transmisso labere sacra polo,
 17 quae tibi purpureo crinem redimitus amictu
 18 Accoltus prisca simplicitate novat.
 19 Ille quidem templis olim te rite dicatis
 20 excipiet, sacras instituetque dapes ;
 21 et melior fortuna viro si arriserit olim,
 22 inflictas clades qua reparasse queat,
 23 gemmeus, et flavo pennas interlitus auro
 24 aurata fulgens stabis in aede Deus,
 25 raraque pendebunt adytis donaria sacris,
 26 Phidiacas possint quae decuisse manus :
 27 hic caelata tuae cernes decora inclyta dextrae,
 28 exulat ad Stygios queis fera turba lacus.
 29 Ardebat caelo bellum nam forte coortum,
 30 diraque servilis sumpserat arma furor ;
 31 Caelicolae trepidare omnes gliscente tumultu,
 32 et diversa alto castra locare polo :
 33 Primus in obstantes ausus perrumpere turmas
 34 irruis, et justo bella dolore moves.
 35 Aeratam agnosces galeam, flammisque vomentem,
 36 presserat auricomum quae tibi fida caput,
 37 fervidus utque ageres victas te te ante catervas,
 38 et turpi cernes cedere monstra fuga :
 39 Stratus humi, validoque tremens sub cuspidis ictu,
 40 fessa tuo Pluton sub pede colla dabit.
 41 Interea, sacras nexis dum floribus aras
 42 cingimus, et flammis annua tura damus,
 43 consule Dive boni, atque inopes ne despice cultus,
 44 munera mox rediens uberiora feres.
 45 Tu modo bellator praepes, caelique minister
 46 Accolto longas des superare dies,
 47 et morbos omnes, vitaeque incommoda pellens

48 serus inoffenso fac petat astra pede.

AD HIERONYMUM BORGIUM

E3_06 v.1 Borgi, mellifluae possunt quo praeside Musae
 2 dura licet Stygii flectere jura Jovis,
 3 Umbri cui licuit totiens ad carmina vatis
 4 inter Sirenum delituisse choros,
 5 seu Stellam Eridanum mulcentem lumine paeto,
 6 seu Veneris caneret regna superba Deae,
 7 seu Lybicos penetrans saltus, radiantia mala
 8 Hesperidum sacro conderet ore senex,
 9 sidera seu potius plectro potiore sonaret,
 10 describens radio lucida signa brevi ;
 11 tecum ego tunc passim properasse ad carmina, Borgi,
 12 illis crediderim Numina temporibus,
 13 Panaque Sylvanumque et spretis Naiadas undis,
 14 sylvarumque omnes obstupuisse Deos.
 15 Ipse novo gaudens florum Sebethus honore
 16 in mare purgatis purior ibat aquis,
 17 et dominam agnoscens vocem, Antiniana rosetis
 18 splendebat variis versicolore solo.
 19 Forsitan et magni tumulo obversata Maronis
 20 umbra ingens vestris cantibus intererat.
 21 Unus nunc tanti superas tu nominis haeres
 22 jactatis, vates, ancora fida deis,
 23 intumuit docto cujus jam carmine Tibris,
 24 antiquum reparans hac quoque parte decus.
 25 Scilicet hoc sceptris deerat tibi, maxime Terti,
 26 quo stellis pergas inseruisse caput.
 27 Macte animo : tibi saecla, pater, jure omnia cedunt,
 28 qui facis Aonidum ne monumenta cadant.
 29 Tu vero hospitio dignate, et principis aura,
 30 fac numeris resonet Martia Roma tuis ;
 31 nec te Parthenopes visendi regna cupido
 32 incessat : Musis haec quoque terra patet.
 33 Et te, si nostri forsitan non paenitet, auctum
 34 praeclari tantis dotibus ingenii,
 35 me quoque, quem totam nuper flevisse per urbem
 36 diceris, et tantis ingemuisse malis,
 37 eripe, namque potes, Lethaei gurgitis unda,
 38 utque tuo vivam carmine, docte, refer :
 39 hoc tibi sic moriens vivam, post funera, pacto,
 40 Ditis despiciam pallida regna Dei ;
 41 sic tibi Mopsopii stillent de pectore rores,
 42 et tua perpetuo carmina Paulus amet.

AD BENEDICTUM ACCOLTUM CARDINALEM

E3_07 v.1 Ecquid, sepositis dum te juvat, optime, curis
 2 Hadriacis vitam ducere litoribus,
 3 et Venetos spectas patres, ausamque superbis

4 stare urbem aeternum fluctibus arte notas,
 5 impositas septem suspiras collibus arces,
 6 et quae te amissum moenia celsa gemunt ?
 7 Illi vel potius doctas componis Athenas,
 8 quae quondam toto jura dedere mari ?
 9 Romanae aut relegens prisca exemplaria linguae,
 10 jam magno confers cum Cicerone pedem ?
 11 Quicquid agas, Accolte, simul mens nostra vagatur,
 12 observatque tuos subsequiturque pedes,
 13 et quo tu veheris, vehitur fidissima lembo,
 14 nec tecum liquidas pernegat ire vias :
 15 ipse mihi videor nunc te tua fata loquentem
 16 audire, et casus nunc quoque flere tuos,
 17 et meminisse olim quam forti pectore diros
 18 fulminis afflatus, contuderisque minas :
 19 territus utque Mari divino est Cimber ab ore,
 20 sic te quaesitorem extimuisse suum.
 21 Nunc pendere iterum videor scribentis ab ore,
 22 et bibula dulces imbibere aure modos,
 23 queis circum exciti ludant delphines in orbem
 24 et Phorci assultet curva per antra chorus.
 25 An ne ego subductis vitae rationibus amens
 26 Accolti potero non meminisse mei,
 27 cujus opem expertus totiens melioribus annis
 28 fortunae potui temnere tela meae ?
 29 Ah potius peream, tali quam crimine turpis
 30 arguar, et firma non puter esse fide.
 31 Te nostrae referent vivaci carmine Musae,
 32 ni me saeva nimis fata fuisse velint.
 33 Tertia nam misero jampridem ducitur aestas
 34 ex quo me morbi vis fera corripuit,
 35 quam lectae nequeunt succisve potentibus herbae
 36 pellere, nec magico saga ministerio ;
 37 vecta nec ipsa Indis nuper felicibus arbor
 38 una tot humanis usibus apta juvat.
 39 Decolor ille meus toto jam corpore sanguis
 40 aruit, et solitus deserit ora nitor :
 41 quae si forte modis spectes pallentia miris,
 42 esse alium quam tu me, Benedicte, putes.
 43 Quid referam ductas somni sine munere noctes,
 44 fugerit utque omnis lumina fessa sopor ?
 45 Et totiens haustum frustra Cereale papaver,
 46 misceri et medica quicquid ab arte solet ?
 47 Saevit atrox morbi rabies, tenerisque medullis
 48 haeret, et exhaustis ossibus ossa vorat.
 49 Haud alia Alcidem confectum clade superbum
 50 Oetaeo memorant procubuisse jugo,
 51 illi Nessaeo vestis cum sparsa veneno
 52 haesit dira humeris, intepuitque sinu
 53 forte Jovi patrias votum sacrarat ad aras,
 54 extaque jam flammis impositurus erat,
 55 didita cum tabes miseros depascitur artus,
 56 et premit indomitus fortia membra dolor.
 57 Qualis ad Apidanum choreis exercita Maenas
 58 errat, et in molli gramine fessa cadit,
 59 Oechaliae talis domitor, Jovis incllyta proles,

60 concidit, et tristes dat sine mente sonos.
 61 Nunc ferus exoritur, saevo nunc frena dolori
 62 laxat, et ipsa jecur vis generosa petit.
 63 Ah quotiens, nullo cernens se robore fultum
 64 atque lacertorum disperiisse toros,
 65 ingemit, eque imo vellens suspiria corde
 66 saepius haec secum tristia dicta refert :
 67 "Haene manus raptatum alte, vinclisque petitem,
 68 Tartareum quondam perdomuere Canem ?
 69 Et totiens leto sternendam viribus anguem
 70 frangere Lernaeam non timuere suis ?
 71 Bracchia Centauros nostra haec pressere furentes,
 72 pocula cum fervens vertit in arma Pholus,
 73 quae si forte humeris, heu, nunc spectentur ab istis
 74 fulta olim nixu quis putet astra meo ?
 75 Scilicet una Oenei vecors me me edita partu
 76 perdit, et intexta perfida peste necat.
 77 Quique steti Nemees monstrum contra, atque Erymanthi
 78 pacavi trucibus vix loca tuta feris,
 79 feminea absumptus fraude, atque immanibus ausis
 80 uror, et ipsa atro viscera felle madent."
 81 Talia commemorans, tantisque doloribus impar,
 82 pallenti tristes ore ciet gemitus.
 83 Consilium donec magno capit Hercule dignum,
 84 stirpe satum quo se mox probet aetheria :
 85 Ipse pyram properans Oetaei in vertice montis
 86 excitat, et maesta fronde coronat humum,
 87 impositusque rogis rapido se destinat igni,
 88 et tandem caeli quae tulit astra petit.
 89 Subdidit aversus flammam Poeantius heros,
 90 praemia cui fortis tela fuere Dei.
 91 Non tamen est Ioles moriens oblitus amorum :
 92 tantum infixam animo cura Deusque valent.

DE ILLUSTRISSIMO ALEXANDRO FARNESIO ABSENTE

E3_08 v.1 Absentem fleret nuper cum Delia Alexim,
 2 hos fertur maestos saepe iterasse sonos :
 3 redde meum quocumque procul sub sidere Alexim
 4 ora tenes nostris facta superba malis.
 5 An gelida prudens frustra nos abscidit Alpe
 6 Juppiter, et ductis aequore sepsit aquis ?
 7 Ille olim certis discrevit finibus orbem,
 8 omnibus est eadem nec patefacta via,
 9 at mens caeca hominum fatibus prohibentibus ultro
 10 exilio patrias mutat avara domos.
 11 Atque alius rapidis audet se credere ventis,
 12 immensum spatiis sollicitatque fretum,
 13 longinquas alius variis erroribus urbes
 14 explet, et immissis devia lustrat equis.
 15 Hinc viduata suis squallent cultoribus arva,
 16 et quae non sevit jugera miles habet.
 17 O pereat quisquis parvi contemptor agelli
 18 ignotam primus navita pressit humum,

19 seu fera sanguineae sequitur dum munera praedae
20 sustinuit puras commaculare manus :
21 quem nec maesta parens, carae nec conjugis ora,
22 crinibus effusis nec remorata soror,
23 nec gravibus genitor rastris affixus, inempto
24 fessus alat quo se, progeniemque cibo.
25 Quam melius potuit sylvis inglorius aevum
26 degere et in parva consenuisse casa !
27 Et nunc, perspicuis trepidat qua rivulus undis,
28 explicat aut virides laurus odora comas,
29 versibus incomptis lusisse Amaryllidos ignes,
30 queis ponat fastus nympa superba graves,
31 observata diu nunc vellere ab arbore poma
32 atque domum tumido grandia ferre sinu.
33 Pignoribus comitata suis fidissima conjux
34 depromit multa stragula picta rosa
35 abstergitque virum lymphis, et veste recenti
36 indutum socio mox fovet apta toro.
37 Interea dulces summo de colle querellas
38 integrat absumpti maesta parens Ityli,
39 dumque canit firmis haerent complexibus ambo,
40 optato donec membra sopore levant.
41 Luce nova exsurgunt somno, curisque soluti,
42 et solitum quisquis sedulus urget opus :
43 inserit ille pirum, rigidas seu vitibus ulmos
44 praegravat, et gemino frondis honore colit ;
45 haec animo repetens exactae gaudia noctis,
46 commodior lanam, dum sinit hora, facit,
47 dumque juvat parvo socrum advigilare nepoti,
48 comparat innocuas fida ministra dapes.
49 Scilicet imperio Saturni subdita tellus
50 hac olim cunctis lege colenda fuit.
51 Tunc mihi vita foret, nec curas perdita nossem
52 queis mea nunc vexat pectora suevus Amor !
53 Nam bene vix dulci demisi lumina somno,
54 cum vanis maerens ludor imaginibus :
55 et modo qua Rhodanus ripis insultat, et alveo
56 non bene spumosis temperat auctus aquis,
57 ipsa mihi videor solos errare per agros,
58 Gallicaque audaci quaerere tecta pede,
59 quique bibunt Ararim populos, magnumque Garumnam,
60 noscere, et Oceani litora Santonici ;
61 regibus aut mixtum magnis modo cernere Alexim
62 pro Latio longas ire redire vias :
63 illum omnes tenero mirantur pectore dudum
64 versantem curas nocte dieque graves,
65 duraque flexanimis mulcentem corda labellis
66 immites possit queis tenuisse feras.
67 At vos, o faciles quae Celtica regna puellae
68 incolitis flavis per rosea ora comis,
69 moribus imbutas patriis impune vagari,
70 cum libuit, nullo quas prohibente ferunt,
71 et vestris hospes quisquis se se applicet oris
72 exceptum molli saepe fovere sinu,
73 admissumque ori niveo, atque ignota ferentem
74 oscula non parva detinuisse mora,

75 parcite blanditiis, nostros neu spernite fletus,
 76 et vestri cupidis basia ferte viris.
 77 Nulla sibi tantos audax nec speret amores,
 78 eludet vestras, credite, blanditias.
 79 Sit satis Hispanas pariter timuisse puellas :
 80 illa etiam justos praebuit ora metus,
 81 maerentem exstincta nuper dum conjuge, Caesar,
 82 te petit, et tristi corda dolore levat.
 83 Dum loquor, unde novo produnt se lilia cultu ?
 84 Lilia lacrimulis vivida facta meis ?
 85 Aspice jam calathos scindunt, aurasque capessunt,
 86 omnis hiat prato gemmeus ecce nitor.
 87 Certa mihi optatum spondent haec omina Alexim,
 88 augurat et niveos florida silva dies.

AD SODALES

E3_09 v.1 Ultima jam properant, video, mihi fata, sodales,
 2 meque aevi metas jam tetigisse monent :
 3 si foret hic lectis morbus sanabilis herbis,
 4 sensissem medicae jam miser artis opem,
 5 si lacrimis, vestrum quis me non luxit ? Et ultro
 6 languentem totiens non miseratus abit ?
 7 Obstruxere aures nostris contraria votis
 8 numina, et haec ventos irrita ferre jubent ;
 9 vos mihi, quos olim colui, dum fata sinebant,
 10 ultima jam cineri dona parate meo :
 11 vobiscum labor hic fuerit, quando his procul oris
 12 ignara heu nostri funeris uxor abest.
 13 Uxor abest, nostrique diu studiosa videndi
 14 pro reditu patriis dona vovet Laribus :
 15 haec potuit praesens, nato comitata, feretrum
 16 floribus, et multa composuisse rosa,
 17 et nivei lactis fontes libasse, merique,
 18 conjugis ut manes spargere maesta queat.
 19 At qui me extremum compellet voce sodalem
 20 et claudat tenera lumina nostra manu,
 21 et fugientem animam suprema exceperit hora,
 22 hoc vos communi pro pietate rogo.
 23 Non operosa, peto, titulos mihi marmora ponant,
 24 nostra sed accipiat fictilis ossa cadus,
 25 exceptet gremio quae mox placidissima tellus,
 26 immites possint ne nocuisse ferae :
 27 rivulus haec circum dissectus obambulet, unda
 28 clivoso qualis tramite ducta sonat.
 29 Exiguus stet caesa notis super ossa sepulta,
 30 nomen et his servet parva tabella meum :
 31 "Hic jacet, ante annos crudeli tabe peremptus,
 32 Molsa : ter injecto pulvere pastor abi."
 33 Forsitan in putrem longo post tempore glebam
 34 vertar, et haec flores induet urna novos,
 35 populus aut potius disjectis artubus alba
 36 formosa exurgam conspicienda coma.
 37 Quicquid ero, vestra haec pariter descendet in imam

38 tellurem pietas, Elysiumque nemus.
 39 Quod mihi si tumulo, vobis curantibus, arbor
 40 ingruat, et virides explicet alta comas,
 41 quae circum nitidis, aestus dum saevit, obumbret
 42 frondibus, et scissam tegmine opacet humum,
 43 jam mihi pyramides, regum monumenta, valet,
 44 et miri quicquid barbara Memphis habet.
 45 Scilicet huc diti pecoris comitata magistro
 46 conveniet festa pulchra puella die,
 47 quae molles ductet choreas, et veste recincta
 48 ad certos norit membra movere modos.
 49 Quin erit illa dies frigus cum captet opacum
 50 hac aliquis flavo cum Corydone Mycon,
 51 et cantare pares, et respondere parati
 52 alternis certent vincere carminibus.
 53 Quorum aliquis forsan crudeli funere raptum
 54 me gemat, et lacrimis pelluat ora piis,
 55 ac misero instauret funus, sternatque sepulchrum
 56 floribus, et nomen tollat in astra meum :
 57 et dulci referat Musarum ut captus amore
 58 sustinui patriae relinquere tecta puer,
 59 mollibus utque olim dum vitam degimus hortis,
 60 regales potui deseruisse domos ;
 61 utque sub umbrosae quercus, platanique virentis
 62 maluerim densa delituisse coma,
 63 quam Tyria pictum chlamyde, auroque intertextum
 64 captatis vulgi plausibus urbe vehi.
 65 Tum faciles memoret mores, et puriter actae
 66 percurrat vitae tempora quaeque meae :
 67 non ego, Lutheri volvens monumenta, nefandis
 68 Germanum populos ritibus implicui ;
 69 nec mea mortiferos porsit tibi dextera succos,
 70 Hippolyte, Ausonii flenda ruina soli,
 71 auspicio externas cujus tandem Itala tellus
 72 abjectas Medica cuspide sensit opes.
 73 Te rigidi stupuere Getae, Rhenusque bicornis,
 74 et tremuit famulis frigidus Ister aquis,
 75 miles ab Eoo veniens cum litore Nili
 76 ingemuit latebras tam procul esse sibi.
 77 Ultorem nobis talem te te affore, pensa
 78 ferrea quae <re>trahunt, praemonuere Deae,
 79 sed tantum terris quis te ostensura putasset
 80 numina, tamque brevi tot peritura bona ?
 81 Itala res tecum periit, tecum Itala virtus,
 82 o nimis immiti stamina rupta manu !
 83 Cuncta ego quae Latii dulces vulgare per oras
 84 dum propero, et laudes dicere, magne, tuas,
 85 ante diem Elysios cogor cognoscere campos,
 86 implet odoratum qua pia turba nemus.
 87 Illic ne incerta ludar regione viarum,
 88 occurras vati nobilis umbra tuo,
 89 et myrto cinctum caput, aut Daphneide fronde,
 90 in tibi vicino me velis esse sinu.
 91 Interea dulces coetus valeatis amici,
 92 jam vocat in nigros mors tenebrosa lacus,
 93 increpitatque moras Lethaeae portitor undae,

94 et remi auditus per loca senta fragor.
 95 Di tamen in melius vertant haec omina, si quem
 96 humanis precibus non pudet esse locum.

DE CAROLO CAESARE

E3_10 v.1 Tela Scythas Caesar debellatura fugaces
 2 praeparat, et validas cogit ad arma manus.
 3 Tu dea, cui centum demissa monilia pendent
 4 Aegide, et innumero palpitat angue sinus,
 5 unde pavor, caedisque ruunt vaesana cupido,
 6 et metus, et fuso sanguine Martis amor,
 7 sis comes, altus equo tentet seu proelia prima,
 8 seu pedes, et carum protege, Diva, caput.
 9 Caesaris ardentis aurata casside cristae
 10 incutiant hosti, te comitante, metum,
 11 absistantque humeris flammae scutoque perennes,
 12 queis turpem arripiant castra inimica fugam.
 13 Classe olim excitus spumantibus aequoris undis
 14 haec fore Carpathius viderat ante senex,
 15 illam cum veteres tremerent Carthaginis arces,
 16 serperet et trepidis Bagrada lentus aquis :
 17 "Ite trabes, dixit, queis aethere ridet ab alto
 18 Juppiter, et ventos temperat, ite trabes ;
 19 vobis Sidonias assignant Numina sedes,
 20 et per subjectas velificatis aquas
 21 his majora tamen, Caesar, tibi fata reservant,
 22 nec capiet laudes Africa tota tuas.
 23 Exponenda tibi auspiciis majoribus arma,
 24 quo Latio referas vota trophaea Jovi :
 25 illa illa ingeniorum altrix terra incllyta quondam,
 26 sive petas belli munera, sive togae,
 27 extulit unde altos primum sapientia vultus,
 28 atque hominem erudiit, commonuitque sui,
 29 unde foro intonuit solers, ac fulmina torsit
 30 prima Rhetor, populos edomuitque truces,
 31 unde artes fluxere bonae, numerisque repertis
 32 humano vates desiit ore loqui,
 33 illa inquam lustranda tuo est tibi milite, Caesar,
 34 subtrahat ut turpi subdita colla jugo.
 35 Dum licet, et magno maerens te corpore Nilus
 36 non renuit latebris occuluisse suis,
 37 arripe saeve fugam, turbataque desere castra,
 38 signorum aspectum vix, Solimane, feres.
 39 Nonne vides quantis Ayalus tibi viribus ingens
 40 instet, et admissos urgeat acer equos ?
 41 Parte alia aeratas ducens in proelia turmas
 42 ferrantes stricto fulminat ense potens,
 43 vertice olorinae, Minci cui munera, cristae
 44 Alpina exsurgunt candidiora nive.
 45 In medio Caesar spolia illa Feretria tentans
 46 insultat portis impiger ipse tuis,
 47 jamque quatit postes, et multa fervidus ira
 48 diffringit valida ferrea claustra manu.

49 Grata recognoscens populorum munera Paulus
 50 imponet sacris turea dona focis
 51 et quocumque Pater oculos circumferet acres,
 52 auspiciis cernet cuncta recepta suis."
 53 Vix haec finierat, cano cum gurgite Proteus
 54 se tegit, et notis per mare fertur aquis.
 55 At tu quo Pauli pietas, quo fata, Deusque
 56 ipse vocat, gressus dirige, magne, tuos,
 57 inflatamque animis classem jam litore solve,
 58 qua mox Eoae diripiantur opes.

IV

AD CAROLUM CAESAREM CONSOLATIO

E4_01 v.1 Ergo etiam nostros, Caesar, te volvere casus
 2 ipsa adigunt saevis fata inimica modis ?
 3 Crebraque nos miserum vexant quae funera vulgus
 4 foedare augustam non timuere domum ?
 5 Quae deformatos ostentans maesta penates
 6 nunc sacro lacrimas excutit ore tibi.
 7 Ecquis erit superum posthac qui numina adoret
 8 aut summum speret flectere posse Jovem,
 9 Caesaris effusas nullo cum pondere voces
 10 audierit celeres diripuisse Notos ?
 11 Quaeque tulit sacris ingentia munera templis
 12 tam male caelestes consuluisse Deos ?
 13 I nunc, et pacem pingues exposce per aras
 14 aut aliquid sanctos perge putare focos.
 15 Irrita si Caesar, quo nil moderatius aetas
 16 nostra videt, fato vota jubente tulit,
 17 conjugis et raptae funus spectavit acerbum,
 18 spemque uteri enectam desperiisse simul :
 19 scilicet hoc cunctis meruit pax reddita terris,
 20 et ductu totiens otia parta tuo ?
 21 Hoc mare pacatum validis quod viribus ante
 22 clauserat obsessis Arriadenus aquis,
 23 hoc Nomadam fractae vires, partique triumpho,
 24 quos modo Sidonio victor ab hoste refers ?
 25 Hoc Latio exclusus totiens Solymanus ab orbe
 26 et Nili occultum pulsus ad usque caput ?
 27 Hoc probitas, moresque tui, et notissimus ille,
 28 ille tuus tandem religionis amor ?
 29 Singula debuerant quorum fata aspera quaeque
 30 rumpere, et aversos conciliare Deos.
 31 Cuncta tamen rapidi discerpunt irrita venti,
 32 ipsaque nec pietas nec benefacta valent :
 33 en Isabella tibi media intercepta juventa
 34 ante diem indigno funere mersa jacet,
 35 quae potuit nuper te conjuge digna videri
 36 quaeque capax tanti Numinis una foret,
 37 et dextram everso tecum quae tenderet orbi
 38 quaeque mari, et terris jura verenda daret ;

39 quae nisi nupta foret, pulsa formidine tellus,
40 quae nunc sub gemino Caesare tuta nitet,
41 te te nixa uno merito foret anxia, partu
42 quo posset tantum continuare genus.
43 Ipse mihi videor, morbo cum fessa cubaret,
44 cernere te decoris vix meminisse tui,
45 atque illis manibus, queis concidit Africa tellus,
46 nunc varias operum disposuisse vices,
47 languentique sitim tenui nunc pellere lympha,
48 collapsam tenero nuncque fovere sinu ;
49 nec non fallaci risum componere vultu,
50 cum cuperes lacrimis cuncta madere tuis ;
51 et merito : quis enim post arma gravesque labores
52 orbe locus toto non odiosus erit,
53 cum tibi se reduci non offeret optima conjux,
54 illa olim collo sarcina grata tuo ?
55 Adde quod hostiles seu bello disjicis urbes,
56 seu juvet in capto ponere castra solo,
57 curarum saepe insolito jactaberis aestu,
58 cuncta domi repetens quam tibi tuta forent,
59 cum populos Isabella truces, gentesque superbas,
60 imperii ad studium cogeret una tui.
61 Es memor ipse, olim dum te Germania regem
62 detinet, et Rheni frigora, Caesar, obis,
63 arserit ut tristi pugnax Hispania bello,
64 tollere damnandas altius ausa minas.
65 Armorum accepit sonitum sub gurgite flavo,
66 moxque Tagus similes edidit ore sonos :
67 "Quos nunc jactari populos servilibus armis
68 et dira spectas seditione premi,
69 hos, Isabella, olim longa sub pace quietos
70 imperio cernes subdere colla tuo ;
71 nam tibi quod primis ausa es connubia ab annis
72 Caesaris, et sanctos una rogare toros,
73 his animis quibus ista rogas pia Numina tandem
74 digna dabunt, votis moxque fruire tuis.
75 Ipse deus properans eadem sub stragula Caesar
76 deveniet, laetus quem comitetur Hymen.
77 Frustra illum optabunt generum magni undique reges :
78 non alia dignus conjuge, Caesar, eris.
79 O ego tunc diti contorquens gurgite arenas
80 quam tibi selectis fluctibus alta petam !
81 Assurget placido lenis mihi flumine Iberus
82 et quicquid circum vorticis unda vehit,
83 laetus Anas pronis serpens per devia lymphis
84 concedet ripis tunc decus omne meis,
85 et vagus arentem Sicoris qui humectat Ilerdam
86 lataque conspicuis aequora findit aquis.
87 At tu felices taedas cui fata reservant,
88 flavaque conjugii vincula nectit Hymen,
89 non mihi tum molli telas discreveris auro,
90 lucentis lanae neu capiare globo,
91 deceptam memorent haec ipsa ad munera quamvis
92 nocturnis Phoeben praeproperasse rotis.
93 Affixae pensis aliae instrumenta Minervae
94 tractent, et nivea stamina ducta colo,

95 ipsa manu impellas belli pulcherrima postes,
96 occupet ut Jani limina clausa situs.
97 Ille igitur seu bella ferus meditetur ad Indos
98 arvaque gemmiferis subdere pulsa vadis,
99 prognatam Eumenidum diro seu sanguine gentem
100 contundat, Latias seu tueatur opes,
101 tu populos late ingentes moderator, et urbes,
102 votaue sint cunctis ultima pace frui.
103 Atque utinam ; sed plura vetant quae pensa sorores
104 ante Jovis solium, certaue fata neunt."
105 Dixit, et auratum dispergens corpore rorem
106 occuluit flavo se Tagus amne pater.
107 O, te tum quali prudens de vulnere, Caesar,
108 celavit, lacrimas quotque sub amne tulit !
109 Emergere omnes quae nunc properantibus horis
110 ut fletu madeant tempora quaeque tuo,
111 et matutinus flentem deprendat Eous,
112 ebibat et lacrimas Hesperus ipse tuas.
113 Talis dilecta viduatus compare turtur
114 ingemit, et crebris questibus astra ferit :
115 illum non liquidi fontes, non pabula nota,
116 nec picturato litora flore juvant,
117 turbatas meminit si quas sed forte lacunas,
118 has sequitur, puros transvolitatque lacus.
119 Ramorum pernox densa nec delitet umbra,
120 arida sed tantum robora maestus adit :
121 illic exceptus noctes exercet amaras
122 et negat abrupto vivere conjugio ;
123 at neget, et rauca testetur voce dolorem,
124 quoque libet tristes augeat ore sonos.
125 Te vero, ingentes alio traducere curas
126 quem fata, atque hominum publica vota monent,
127 ulterius te flere nefas, sat tristia, Caesar,
128 funera sunt lacrimis concelebrata tuis.
129 Quin etiam Pauli pietas gratissima caelo,
130 humanum amplecti qua solet ille genus,
131 sic nuper commota atro est hoc funere, ut omnis
132 urbs tanto lacrimas viderit ire Deo ;
133 quarum ut nulla fidem possit tenuare vetustas
134 ingenti cumulo mox pater ipse facit.
135 Mittit Alexandrum tanti solacia luctus
136 qui ferat, et lacrimis indicet esse modum :
137 "I puer, i, dixit, rerum spes una mearum,
138 quo duce lapsa iterum saecula renata mihi,
139 et prima quamvis signes vix ora juvenia
140 aude animos regum flectere velle tamen ;
141 ut firmata virum cum te jam fecerit aetas,
142 vestiet et teneras lucida barba genas,
143 jactatura tua haec quo sit se robore virtus
144 praevideant certa tempora nostra fide,
145 quaeque tibi imposita est terris persona regendis
146 inferior meritis quam sit et illa tuis.
147 Sollicitos dudum fletus nos Caesaris urget
148 et cogit lacrimis ora madere piis,
149 illi tu nostram defer, puer inclyte, mentem
150 et quo nos sensu torqueat iste dolor :

151 lumina misissem tantos testantia luctus,
152 carior ambobus ni mihi sis oculis."
153 Sic terris mortale genus miseratus ab alto
154 laetitiam summus mandat adesse pater :
155 illam aurae, Zephyrique leves comitantur euntem,
156 diffugiunt toto nubila pulsa polo,
157 quaque pedem Dea blanda movet, risusque jocusque
158 inducunt molles laeta per arva choros ;
159 haud aliter Pauli quo quo justissima cura
160 vertit iter, maestus deserit arva dolor.
161 Illum auro insignem, et fulgenti murice pictum
162 illustri arrident sidera cuncta loco :
163 quae graviora petis luctus solacia, Caesar,
164 exemplo pietas haec caret una pari.
165 Pallida mors regum nullo discrimine turres
166 pulsat, et exiguas concutit atra domos,
167 cujus tela tamen si qua praevideris arte
168 quo minus officiant fellis habere solent.
169 Hinc diri nuper totiens arsere cometae
170 visaque non notis cursibus astra vehi,
171 Sol pater obscura nitidum ferrugine crinem
172 textit, in obtusos procubuitque dies,
173 Lunaque purpureo frontem circumdata gyro
174 infecit diris aethera imaginibus,
175 aeraque templorum nullis cogentibus alta,
176 quis putet ? Insolito concrepuere sono,
177 vox etiam vallesque inter lucosque silentes
178 exaudita graves nocte ciere modos.
179 Pluraque, quae terras tunc pervasisse putandum est,
180 omina tam dirum praemonuere diem,
181 ut contundendo jam mens assueta dolori
182 in rem praesentem succubuisse neget.
183 Praeterea, externis dum non turbatur in oris
184 cunctaque Caesareo sub pede bella jacent,
185 objectus menti timor hic, amissaque sensim
186 jampridem fracto spes fugit ipsa metu :
187 scilicet est aliquid fati cum venerit hora,
188 ipsaque supremi funeris atra dies,
189 cognatas interque manus, carosque propinquos
190 deficere, inque viri procubuisse sinu.
191 Illa sibi dulces commendat pignora natos,
192 perque faces thalami, per geniumque rogat,
193 interea fugientem animam dulci excipit ore
194 conjux, et lacrimis irrigat ora piis.
195 Dein tumulum Assyrio maerens perducit odore
196 et tristes mittit munera in exsequias
197 marmoreo donec componat membra sepulchro,
198 grandibus incidens marmora sculpta notis ;
199 omnia quae praesens implesti munera, Caesar,
200 defueris tantis nullus ut officiis :
201 ornandi tumulum tibi nunc cura ultima restat,
202 invictum ut tollas hac pietate caput.
203 Jam juvat eductas spectare ad sidera turres
204 et subvectatis molibus astra peti,
205 Pyramidas jactet posthac queis barbara Memphis
206 parcius, atque tuum, Caria, cedat opus.

207 Unde iterum artificum caelo generata resurgat,
 208 Eoo conjux sidere clara magis,
 209 qualis erat populis olim cum jura vocatis
 210 laeta daret, sacris donaque rara focis,
 211 seu qualis Libycis nuper te solibus ustum
 212 excepit, cultis enituitque genis.
 213 Forsitan et vatem tibi nunc Germania, Caesar,
 214 Itala seu tellus, seu mage Ibera ferat,
 215 qui tumulo aspiciens immania surgere saxa,
 216 artibus et priscum jam rediisse decus,
 217 te canat, atque animo sortem indignatus acerbam,
 218 obduci tenebris conjugis ora vetet,
 219 vestraque victuris compellet nomina cartis
 220 providus, et morti non sinat esse locum.
 221 Tu modo Musarum dulces ne despice cantus,
 222 queis etiam flecti Numina saepe solent :
 223 omnia nam tristi cum sint obnoxia fato,
 224 despiciunt Stygios carmina sola lacus.
 225 Sic luctus olim ut consolaretur acerbos,
 226 Marcello magnus templa dicavit Avus.
 227 Sic Gai, Lucique simul molem incllyta Roma
 228 stare in tam longa posteritate stupet.
 229 H... (Lacune) haec monumenta doloris,
 230 Augustus domina liquit in urbe pater ;
 231 Dumque aliis noctem prudens, et nubila differt,
 232 inde sibi aeternum comparat ipse decus.
 233 Ergo bonae florere artes, et surgere passim
 234 ingenia, et tanto principe cuncta niti ;
 235 Musarumque chori dulces expromere cantus,
 236 solvereque Aoniis ora rigata vadis ;
 237 scilicet hinc patriam relinquens, et litora Minci
 238 Tityrus aeterna fixit in urbe pedem ;
 239 Ascraeumque canens Romana per oppida carmen,
 240 frondis Idumaeae praemia fronte tulit.
 241 Egressus donec silvis, horrentia Martis,
 242 et Phrygii cecinit bella cruenta Ducis ;
 243 atque pedem magno tandem congressus Homero,
 244 intactas Graium diripit unus opes.
 245 Idem etiam caelo demitti primus ab alto
 246 progeniem sensit (Lacune)
 247 qua Duce mox toto (Lacune)
 248 et posita prisca (Lacune)
 249 dumque canit sublime vehens ad sidera laudes,
 250 Octavi, sacro detulit ore tuas.
 251 Illo nimirum felici tempore, Roma,
 252 praesentes vatem quum coluere Deae.
 253 Carmina quas magno dictantes culta Maroni,
 254 cinxisse aeterno te te adamante ferunt.
 255 Moenibus aeternis et sic fundasse superbam,
 256 nulla queat posthac ut soluisse dies ;
 257 et merito, nam terra vehet dum robora, caelum
 258 sidera, dum Tuscas in mare Tibris aquas.
 259 Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,
 260 tantum perpetui carmina juris habent.

IN ANUM IMPORTUNAM

E4_02 v.1 Hesperidum qualis dites circumplicat hortos
 2 anguis, et intortis flexibus arva tenet,
 3 talis anus, nostrae custodia dira puellae,
 4 observat teneros, subsequiturque pedes,
 5 ut non illa queat comites, carosque propinquos
 6 hac sine, nec magni visere templa Jovis :
 7 non patrem incomitata petat, non filia matrem,
 8 usque adeo haec turbat gaudia tanta lues.
 9 Quod si forte illam cupidis spectaris ocellis,
 10 spectantis subito devovet atra caput,
 11 nec quisquam occurrit, cujus non turpiter ora
 12 appetat, et tristes murmuret ore sonos.
 13 Aurato frustra latitet sub Juppiter imbre,
 14 iverit ad Danaes haec modo saeva latus.
 15 Perfida, et immitis mores imitata colubri,
 16 cujus ad exemplum te quoque fata manent,
 17 digna quidem es sudibus vitam posuisse sub ustis,
 18 sed non Herculeo robore digna peti :
 19 crede mihi, cecinisti in me quae tristitia nuper,
 20 in caput evenient uberiora tuum.
 21 An socrum te odisse nurum non perfida narrant
 22 quae tecum aequaevae stamina longa trahunt ?
 23 Cujus te mores nequeunt mutare, nec illa,
 24 illa mihi geminum lumina cara jubar,
 25 lumina queis rapidos submittat fulminis ignes
 26 Juppiter, et caeli regna minora putet.
 27 Sume animos, formosa, mares, et colla tumentem
 28 dejice, et audaci robora stringe manu,
 29 forte modum vertat, frenum si coeperis ore
 30 mordere, et tristi te explicuisse jugo :
 31 castaque nullius cum sis tibi conscia culpae,
 32 fustibus invisam, verberibusque doma,
 33 sic ultum venies manibus generosa pudicis
 34 mille animas, leto quas dedit ista truci.
 35 Nam quotiens libuit, noctem ducentibus astris,
 36 exuere humanam dicitur effigiem,
 37 et fieri obscaenam volucrem, mox unguibus uncis
 38 errant cum molli somnia nigra pede,
 39 infantum circum cunas volitare, nec ulli
 40 parcere, cui matrem senserit esse procul,
 41 nec teneros nisi pastam artusque et sanguine poto
 42 assuetam ad vestros inde redire lares.
 43 Tun pestem hanc patiere, meae spes unica vitae,
 44 ardescet tristi nec tibi felle dolor ?
 45 O pereat potius quisquis sua commoda nescit
 46 servari melius qua ratione queant :
 47 blanditiis facilem, conjux incaute, puellam
 48 in quamcumque velis duxeris ipse fidem ;
 49 nam tenerae obsequio perstant in amore puellae,
 50 sicque illaesa tori vincla pudorque manent.

AD INVICTISSIMUM HERCULEM FERRARIAE DUCEM

E4_03 v.1 Otia Musarum sacris, et Apolline digna
 2 quaerebam curis liber, et urbe procul,
 3 et nunc, qua gelidis immurmurat aura viretis,
 4 errabam tacito per loca sola pede,
 5 nunc dorso exceptus nemorum, et viridantibus umbris
 6 pergebam Aonios laetus inire choros.
 7 Hinc magnum Alcidem victuris condere cartis
 8 mens erat, et summi facta referre Ducis.
 9 Scilicet ut puero Phoebi chorus astitit omnis
 10 ad cunas, primos dum ciet ore modos :
 11 fulserunt nitidis circum plectra aurea gemmis,
 12 et dulces cantus Calliopea dedit,
 13 divinum ambrosiae Charites sparsere liquorem,
 14 quo languor teneris artubus omnis abit.
 15 Ecce tibi, superos inter lis orta repente est,
 16 munera quis puero nobiliora ferat.
 17 Ipsa oculis Cytherea novum molita decorem
 18 afflat, et insolitum spargit in ora decus.
 19 Mars pater immensum robur, venientibus annis,
 20 spondet, et invictas ad fera bella manus.
 21 Regna Deum genitor, rapido quae intersecat amne
 22 hinc Padus, et tumidis alluit auctus aquis,
 23 hinc sale Tyrrheno clauduntur plurima, at illinc
 24 Hadriacis late fluctibus icta sonant :
 25 in medio Eridani surgit Ferraria ad undas
 26 aureaque invictum tollit ad astra caput.
 27 Qualis septa ardet bacca Gangetide gemma
 28 atque puellares nectit honore comas,
 29 talis culta inter vicinas enitet urbes,
 30 clara hominum ingeniis, Semideumque domus,
 31 quam vis nulla queat, non ipse excindere ferro
 32 Juppiter, adversum si ferat arma Deus.
 33 Quin et avis atavisque potens, et sanguine Ibero
 34 mista Deum soboles jam mihi carmen erat,
 35 externique iterum thalami, queis regia conjux
 36 gaudet, et Herculeum suscitatur alma genus,
 37 at mihi livor edax, Musarum sacra ferenti,
 38 obstitit, et coeptum linquere jussit opus.
 39 Ignotas subito Nymphae petiere latebras
 40 et flentem Phoebus deserit ipse pater ;
 41 nil nemora, aut saltus miserum juvare, latentem
 42 invenit, effuso cuncta labore cadunt.
 43 Quid referam obscaenos vultus ? Quid sanguine foedo
 44 suffectos visus, quos meminisse piget ?
 45 Canities inculta genas, color occupat ora
 46 buxeus, aurata pallidior statua.
 47 Hoc ego nocte satas monstrum exhorrere sorores
 48 crediderim, et si quid tristius Orcus alit :
 49 tu mihi, seu fessis Italum succurrere rebus,
 50 seu perstas regnis consuluisse tuis,
 51 Ausoniae columen, quo nunc Ferraria gaudet
 52 principe, et irati vix timet arma Jovis,
 53 huic monstro occurras pernix, et vindice dextra
 54 fac Stygios repetat, te feriente, lacus.

55 Herculea laetere diu sic, optime, fronde,
 56 aeternum terror hostibus unde cadat,
 57 sicque tibi placido delapsus in aequora cursu
 58 Eridanus famulis litora pulset aquis.
 59 Abstineat nostros olim si invadere fines
 60 pestis, et haec telis concidat icta tuis,
 61 non mihi te potior fuerit Jove natus ab ipso
 62 Alcides, caeli fulserit astra licet,
 63 straverit aut dirum Nemees sub rupe Leonem,
 64 traxerit et Stygium caeca per antra Canem.
 65 Saevius his quando monstrum est quo jactor, opemque
 66 numinis imploro terque quaterque tui.

AD EUNDEM

E4_04 v.1 Monstra quot Herculeis olim tremefacta sagittis
 2 strataque victrici disperiere manu,
 3 horrida tot livor se se in miracula vertit,
 4 cujus felle mihi tempora quaeque madent.
 5 Aptior hic Hydra miseris aspergere virus
 6 sibilat, et tortis flexibus arma parat ;
 7 nunc fremit ore leo, taetris nunc rictibus atrox
 8 latrat, tergeminum dixeris esse canem.
 9 Huic rabies stimulos diro sub pectore versat,
 10 immanes pressit quae Diomedis equos.
 11 Quid Caci referam vultus turpesque rapinas ?
 12 Sanguineoque voret quas ferus ore dapes ?
 13 Hunc semel aspicias, Strophadas vidisse putabis
 14 Harpyias novit haec quoque terra suas.
 15 Quis deus hanc pestem nostro procul orbe releget
 16 aut Stygiis damnet, maximus ultor, aquis ?
 17 Tu mihi, tu caelo nomen qui ducis ab alto,
 18 et genus, hac etiam laude superbus eas :
 19 Diis genite Alcida, virtus quo praeside surgit
 20 Itala, et amissum non sinit esse decus,
 21 non levis haec fuerit, strato ni corpore in uno
 22 Herculeis pigeat laudibus ire parem.
 23 Tunc mihi Musarum liceat secreta petenti
 24 perpetuo Aoniis invigilare choris,
 25 teque super, meminisse olim quae funera victor
 26 ediderit, stricto dum furit ense pater,
 27 spreverit utque minas, et magni fulmina Juli,
 28 Romano qui tum praeerat Imperio.
 29 Mox Venetum aggrededer classes, infectaque tabo
 30 flumina, et evinctos bracchia capta duces,
 31 cum caput Eridanus viridi pater extulit antro,
 32 captivas cernens tendere vela rates,
 33 et patriae Alfonso memorem virtutis, in arma
 34 irruere, et canis spargere tela vadis :
 35 aerea depressis volvuntur rostra carinis
 36 et per victrices fracta vehuntur aquas.
 37 Aurea sidereo plaudit Ferraria vultu
 38 et spoliis onerat templa superba novis,
 39 effossi pendent clipei, telisque petita

40 exornant postes principis arma Dei.
 41 Herculis hinc addunt laudes, pugnataque bella,
 42 et magni pariter facta canuntur avi :
 43 ut quondam patriae steterit pro moenibus urbis
 44 ille idem ingrueret cum ferus ore Leo,
 45 fuderit utque acies densas, atque arva cruore
 46 sparserit, et Venetas fregerit altus opes.
 47 Ipse gerens galea cinctam serpentibus Hydram,
 48 Hadriaca edocuit spernere tela Padum.
 49 Has ego ne ad metas possim contendere, livor
 50 obstat, et admissos aequore terret equos.
 51 Eia age, Pieridum quo nam tibi cura recessit ?
 52 Quove abiit longae posteritatis amor ?
 53 Huc huc flecte aciem, et sortem indignatus acerbam
 54 seminecem vitae restituuisse velis :
 55 sic tuus ante annos implens jam vota parentum
 56 pulcher avi superet te duce facta puer,
 57 teque unum ante omnes primis miretur ab annis,
 58 et se patre satum qui tulit astra sciat.

AD IULIAM PUELLAM FORMOSISSIMAM

E4_05 v.1 Julia nata meis non ultima cura Camenis,
 2 qua sine mi regum despiciuntur opes,
 3 dum me fata jubent longinquis vivere terris,
 4 si modo sit sine te vivere vita mihi,
 5 quod discedenti crinem turbata decorum
 6 pollicita es teneras imbre rigante genas,
 7 id praestes, moneo, quando haec in foedera sponte
 8 venisti, obstringens teque fidemque tuam :
 9 "An mihi non omni semper sis carior auro,
 10 me Danaes quamvis notus adulter amet ?
 11 Externis non sum capiar quae victa lapillis,
 12 nec laxa soleam quae stupuisse toga,
 13 incoctos inhiem nec quae male sana rubores,
 14 hos mihi sive feras, Africa, sive Tyros.
 15 Splendeat illa ostroque et Coa veste puella
 16 cui nulla in fletum nox vigilanda venit,
 17 interpellatos numquam quae luxit amores,
 18 autorem cultus quae tenet ipsa suum."
 19 Haec, et plura tibi cum me discedere fleres
 20 excidere, animo quae mihi fixa manent ;
 21 nam me destituat spes haec si, Julia, nostri
 22 te merito noris funeris esse ream.
 23 Non tu adeo vinctum triplici praecordia ferro
 24 me rere, aut silicem pectore habere meo,
 25 hoc ego dissidium ut valeam perferre, tuoque
 26 amplexu credam posse carere diu.
 27 Non me dura tulit summis in montibus ilex,
 28 expuit aut mediis Syrtibus unda maris,
 29 ut tibi me potior turbato foedere quisquam
 30 esse queat, vitam nec posuisse velim.
 31 Si petis unde mihi novus hic in pectora sese
 32 non nulla insinuet nunc ratione timor,

33 novi ego peccandi causas quas Roma ministret
 34 et quam non facili res mea sita loco est ;
 35 adde quod apta tibi nimis est, quae, Julia, tardet
 36 forma viros, miris alliciatque modis.
 37 Sensi ego quam rapido nuper me absumpseris igni,
 38 cum semel es misero pervia facta mihi :
 39 ipsa tuo jaculata omni de corpore flammam
 40 risisti, assuetae conscia nequitiae,
 41 et nisi quod subitam intulerant quae lumina cladem
 42 illa eadem medicas non renuere vices,
 43 ultimus ille dies misero illuxisset amanti,
 44 usque adeo incautum me furor abstulerat.
 45 Cur ego non aliis credam te, vita, placere ?
 46 Heu nimium multis haec tua forma nitet.
 47 Tu tamen ipsa tuis constans stes, Julia, dictis,
 48 dissimilem nec te juverit esse tui.
 49 Si quaeris patriis quid agam, pulcherrima, terris,
 50 omnia mi sordent quae placuere prius :
 51 uror, dispereo, nec me labor improbus ullus
 52 vincit, et aeternum pectora vulnus alunt.
 53 Ah quotiens ego dum laqueos, dum retia cervis
 54 tendo, ipsa es laqueos visa subire meos !
 55 Ah quotiens unco pisces dum fallimus hamo
 56 occurris mediis insidiosa vadis !
 57 Saepe etiam visco Philomela excepta tenaci
 58 te dominam querulis visa cedere modis.
 59 Denique quicquid agam, tibi mens haec dedita servit,
 60 inque meo regnas imperiosa sinu.
 61 Quin etiam accipiunt atram cum lumina noctem
 62 haud aliter falsis ludor imaginibus :
 63 nam modo nunc auro, nunc multis splendida gemmis,
 64 nunc ancillarum ducere visa gregem.
 65 Atqui utinam ludar, nec sint insomnia vera
 66 quae mihi fert longo parta labore quies.
 67 Rejecto potius sed te, mea Julia, circum
 68 crine caput, passis inveniamque comis,
 69 quaeque tibi assideat custos sola, obsita pannis
 70 et mihi te absenti sedula servet, anum.
 71 Ignaram his quaestus par est traducere vitam
 72 moribus, ut nulli sit cupienda viro :
 73 jure procax, vivatque potens et divite cultu
 74 quae pretio excepto nil sibi dulce putet.
 75 Di faciant nostro res sint in amore secundae,
 76 oppressum tantis nec velis ipsa malis.

DE CHRISTO CRUCIFIXO

E4_06 v.1 Jam nova lux caelo terras demissa per omnes
 2 irradiat, nullis nubibus apta tegi,
 3 Duxque viam signat flammis, et praevia caecas
 4 explorat latebras, restituitque diem :
 5 humanum Pater ecce genus miseratus ab alto
 6 se reteggit, qualem saecula prisca sonant,
 7 et quos nullius commendat gratia facti,

8 ex nobis quando nil nisi triste fluit,
 9 inserit ipse sui, dictu mirabile, nati
 10 artibus ; insertos mox colit inde sibi,
 11 et fructus quos nostra illi non seminat arbor,
 12 caelesti prudens datque legitque manu.
 13 Atque animo repetens crudelia funera, quondam
 14 queis mundo parta est, se tribuente, salus,
 15 antiquam delet labem, legesque refigit,
 16 et caelo immeritos, sideribusque locat :
 17 scilicet haec Nato, duri solacia casus,
 18 esse dedit, tanta pro pietate, Pater.
 19 Nil meritis tribuit nostris, nostra omnia sordent
 20 hic opera, humana quicquid et arte queas,
 21 laurea debetur tota haec tibi, maxime ductor,
 22 quo sine nostra omnis spesque fidesque jacent,
 23 sanguine tu Patris solus decreta, minasque
 24 inducis, Stygias frangis et unus opes.
 25 Nil sibi de tanta quicquam decerpserit audax
 26 laude aliquis, quando hoc muneris omne tui est :
 27 sanguine tu nobis reditum, tu sceptrum, Patremque
 28 concilias, caeli per te adaperita via est.
 29 Incassum huc divos in vota vocaveris omnes,
 30 unius hoc Nati nam jubet esse Pater.
 31 Tu, jubare exorto, clara se in luce videndum
 32 cui Deus, atque Dei non negat ipse parens,
 33 quem tibi nunc alium precibus, votisque fatiges
 34 ferre aditum, nullo si prohibente licet ?
 35 Fidere te cuiquam renuit Deus, ipse vocat te
 36 omni defessum pondere quo relevet,
 37 at nos segnities quae nam jam tanta moratur,
 38 quis Patrem fessus tardat adire pium ?
 39 Ipse Satan, Satan ipse, odiis incensus amaris
 40 hos nectit laqueos, vinclaque dira parat,
 41 quo summi eripiat nobis promissa parentis,
 42 et caeli miseros templa subire vetet :
 43 humani observans nempe is vestigia gressus
 44 ardet, et errantes implicat usque pedes,
 45 cujus si mediis olim te. Exsolveris, acer,
 46 nexusibus, urget adhuc non tamen ille minus ;
 47 urget, et extremae contorquens agmina caudae
 48 mille dolos veteri callidus arte novat,
 49 usque adeo jam tum praelato invidit honori,
 50 cum premeret nitido sidera clara pede.
 51 Ergo Deos meliora petens Natumque Patremque
 52 hujus in invisum mox caput arma para :
 53 tela manu capias, fraudes frangentur inanes,
 54 et repetet Stygias hostis amarus aquas,
 55 obscuramque trahens maculis inglorius alvum
 56 squammae, demisso pectore, terga dabit ;
 57 fumanti demum stridens se condet in ulva,
 58 sauciaque effractis cornibus ora gemet.
 59 Tu tamen, oro, animos parto ne tolle triumpho,
 60 viribus acceptum nec refer ipse tuis,
 61 nec tibi tandem prudens quisquam hoc suaserit auctor,
 62 divino id nutu quin cecidisse putes.
 63 Ni facias, properata leget vestigia retro


64 lubricus, et multo promptior arma feret,
 65 teque iterum involvet spiris ingentibus, audax,
 66 nulla queat posthac quas soluisse dies.
 67 Haec modo scribebam, Arctois cum fulmen ab oris
 68 emicuit, longas subsecuitque vias :
 69 cujus ego excitus monitu, sequar omina tanta
 70 qua licet, et Superum numina sancta vocant.
 71 Jam juvat exuvias veteres posuisse repente
 72 indutumque hominem protinus ire novum,
 73 altius et tenebris caput exsertasse malignis,
 74 cum miser id possem constituisset minus.
 75 Proinde tona eloquio, caelo gratissima tellus,
 76 jam<que> dabit victas quaelibet ora manus,
 77 nec frustra effusum Nati spectare cruorem
 78 ulterius poterit sustinuisse Pater.
 79 Erumpet mediis sic Pax Aquilonibus acta,
 80 quae secum terris optima quaeque vehat,
 81 postremo intrepidus caelestem sistat ad urnam
 82 judicis, et firma nos tueatur ope,
 83 illustresque fide, ac consanguinitate propinquos
 84 cognato capiti restituisse velit.
 85 Ipse Pater solio demum miseratus ab alto
 86 dona recognoscet Spiritus ampla sui,
 87 et signo aspiciens ac Nati sanguine fultos
 88 transcribet urbi, pignora cara, suae.

ELEGIA AD NYMPHAS

v.1 Salvete, o nemorum castae undarumque puellae,
 2 Naiades Nymphae, Nymphae et Hamadryades,
 3 tuque pater Sylvane, Deus pecudumque boumque,
 4 salvete et vos, o Capripedes Satyri :
 5 me juvat umbriferis vestris recubare sub antris,
 6 ducere et in vestris fontibus usque dies.
 7 Vos mi invisae urbes, vos et tecta ampla, valete,
 8 et vos magnorum templa superba Deum,
 9 hic ego sylvicolis dicam solemnia semper
 10 verba Deis, propriis sacra ferens manibus.
 11 Spicea jam prima pendebit messe corolla,
 12 flava Ceres, templis munera digna tuis ;
 13 at tu, Bacche, feres lecta de vite racemos,
 14 e quibus emanant nectarei latices :
 15 his ego te redimiam frondenti palmite sertis,
 16 his tu, sancte pater, tempora vincta geres.
 17 Teque, o magna Pales, spumantia pocula lacte
 18 dulcia dona tuo nomine fusa manent.

19 Ast alii quibus alta habitare palatia curae est,
20 et vestes molli poscere ab usque Tyro,
21 caelicolis properent tauros mactare superbos,
22 et magnis aris munera magna ferant.
23 Illi etiam studeant auras captare profani
24 vulgi principibus et placuisse viris ;
25 certent ingenio, contendant nobilitate,
26 et magnis opibus bella cruenta gerant ;
27 in thalamis auro stratis ostroque rubenti,
28 inque toris niveis, textilibusque cubent.
29 Sat mihi, cum rapido depascitur arva calore
30 Sirius arbustis noxius atque ovibus,
31 propter aquae rivum molli requiescere in herba
32 et dulces somnos fonte sinuante sequi.
33 Si tellus fuerit rigidis conspersa pruinis,
34 concresetque omnis fontibus unda gelu,
35 tunc ego pauperibus vitam traducere tectis
36 atque humiles possem, quaeso, habitare casas.
37 Agrestes epulae mihi mensa suppeditentur,
38 parvus et exiguo luceat igne focus ;
39 adsint castanae, sit mollis copia lactis,
40 dulcia nec desint tempore vina suo.
41 Haec mihi contingant ; sit jam ditissimus ille
42 qui subeat uno mille pericla die,
43 qui pendens animi semper noctesque diesque,
44 anxius incertis sollicitusque bonis
45 assiduo parcus studio cumulare laboret
46 quas haeres fundat luxuriosus opes.
47 Nos docuit parvo rerum Natura Creatrix
48 et sine continuo vivere posse metu.
49 Aurea si ditum non fulgent pocula nobis,
50 an non sat vitro posse levare sitim ?
51 Quod si etiam nullus crateris jam foret usus
52 natura effossas condidit ipsa manus.
53 Felices olim Saturno Rege creati,
54 omnia namque illis terra benigna dabat.
55 O, utinam nobis etas nunc illa rediret,
56 priscaque cum veteri simplicitate fides,
57 Non essent caedes, non horrida bella nec enses,
58 nec tanta imperii dira cupido foret ;
59 florerent terris castae dulcesque Camenae,
60 floreretque sua Phoebus Apollo lyra :
61 cujus ego ingressus nunc primum templa sacerdos
62 securus ruri rustica dona cano.

.../...



Francesco MOLZA